

15  
I. N. J.

De

1688 50 24.

# IMPETRATIONE OFFICIORUM

PER

MATRIMONIUM,

Vulgò:

PROMOTIONE PER MATRIMONIUM,

Moderante

**D. N. HENRICO Lindten /**

Jcto, Serenifs. Duc. Palat. Solisbac.

nec non Inclyt. Reip. Noric. Consiliar.

ac Universitatis Altdorfinæ Pandect.

Prof. Publ.

*PATRONO ac HOSPITE suo multum suspiciendo,*

d. 26. Septembr.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ MDCLXXXIIX.

publicè disputabit

**JOH. FRIDERICUS Gödel / Gotha-Thur.**

Autor & Respondens.

---

ALTDORFI

Typis Johannis Henrici Schönnerstædt.

*Nov. 5 43.*



**C**onnubii nexu Spartam quæ quærat  
amator,  
Promoveatque suum Sponsa subin-  
de procum,  
Ritè probas, reprobas. Mentis sic  
dona per ampla  
Prodis, sic Studiis invigilasse juvat.  
Munia, crede, Tuos pensabunt digna  
labores,  
Complexûs faves Sponsa venusta  
dabit.

*Nobiliss. DN. GÖCKELIO, Fautori & Consalino  
suo, qui presenti Dissertatione egregium politionis Juris-  
prudentiæ, atq; scientiæ legalis edidit specimen, hisce gra-  
tulatur in simulque, ut non solum supremi Juris Honores,  
sed & promerita atque condigna functio idem mox ex-  
cipiant, ex animo vovet*

**PRÆSES.**



# AUSPICE TRIUNO.

## Prooemium.

### SUMMARI A.

Num. 1. & seqv. Dehortatio ab immoderata & inordinata honorum munerumq; publicorum p̄sentatione, deducta ex dicto Syracidis cap. 7. v. 4. ejusq; explicatio. 4. & seqq. Monitum de arcendis ab officiis publicis & clavis Reip. opificibus, itidem ex laudat. Eccl. verb. c. 38. v. 37. probatum. 6. & seqq. Modesta dignitatum officiorumq; petitiō personarum habilium minimè est prohibita. 8. Hinc licitus quondam apud Romanos Candidatorum fuit Ambitus. 9. Sed, crescente indies indiesq; ejus abusu, ac irrepente pecuniarum divisione suffragiorumque emtione, idem populo Romano valdè redditus fuit exosus. 10. Recensentur variae de Ambitu coercendo latae LL. quarum postrema fuit L. Julia. 11. & seqq. Rejicitur eorum judicium, qui in modernis Regnis nullum hujus Legis amplius esse usum censent. Aliud suadet hodiernum invalescens in variis provinciis honorum munerumq; venditio. 14. Inter quas Gallia potissimum malè audire dicitur. 15. Contra dissentientes hæc nundinatio reprobatur, adjectis magnorum Virorum judiciis. 16. Inter infinita Ambitus genera eminent uxorius, cum per nuptias quis ad munera publica & honores adspirat, eosque ambit. 17. & seqq. ad cujus thematis tractationem transitus instituitur cum invocatione Nominis divini & captatione Benevolentiae.



*Sapientissimus Syracides, quemadmodum in aureo suo, 1. quem sacro ob id Codici insertum reperimus, libro multa proponit, quæ bene vivendi normam præscribunt; ita quoq; singularis prudentiæ specimen in eo edidit, quod inordinatum officiorum appetitum cap. 7. vers. 4. & seqq. hisce secundum versionem vulgatam dissuadeat verbis: Noli quærere ab homine ducatum, nec à rege cathedram honoris, &c. Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciē Potentis & ponas scandalum in agilitate tua. Ubi quidē Lucas Osiand. Francisc. Jun. aliiq; verba paulò aliter reddunt, versio tamen, in Ecclesiis Evangelicis probata, sensum hunc in modū exprimit: Dünge dich nicht in Nempter für Gott / und ringe nicht nach Gewalt beyrn Könige /c. Laß dich nicht verlangen Richter zu seyn / dann durch dein Vermö-*

- 4 Vermögen wirst du nicht alles zu recht bringen/du mügest dich entsetzen
2. für einem Gewaltigen/und das Recht mit schanden fallen lassen. Opti-  
mò hóc suasu duo præcipuè debortationis suæ complectitur membra: Rerum  
sc. gerendarum difficultatem, & Potentiorum, cum quibus res est, vim atq; au-  
toritatem. Utrumq; tanti momenti esse dicit prudentissimus Vir, ut aliquem ab  
officio Judicis deterrere, atque monstrare queat, illud non tam expetendum,  
quam potius, ubi alicui commissum fuerit, cum formidine suscipiendum esse.
3. Legitima proinde à Deo vocatio expectanda, nec vitæ ratio præcipitanda  
est, quod fit, dum quis se ingerit & obtrudit officiis. Quapropter & Judei, quæ  
de Rabbinatus ambitione evitandâ inculcant, monita, de cujusvis dignitatis  
ambitione interpretantur, sicque quod apud eos Schemajah dixerat: Dilige  
opus & odio habe Rabbinatum, & non sis familiaris nimium cum Po-  
tentioribus, ad quodvis dignitatis & regiminis publici desiderium exten-  
dunt, ut demonstrat ex traditis Joh. Selden, de Synedr. lib. 2. c. 9. Dn. Zig-  
ler in Dicast. concl. 4. §. 2. Sed enim verò non hodiè solùm sanū hoc consilium  
negligi, nec heriant nudius tertius, sed jam ab antiquissimis temporibus negle-  
ctum esse, quis sanæ mentis negabit? Varii siquidem & infiniti penè officia, hono-  
res, dignitatesve consequendi, ac indignos quoque promovendi non modernâ  
duntaxat, sed & antiquiori ætate sunt, fueruntq; recepti ac inventi modi, ut  
& apud Hebræos legem de pigmentariis, pictoribus, fusoribus, architectis, fabris  
& figulis ad tribunalia non promovendis extitisse observaverit Mediolanen-  
sium celeberrimus J. Ctus Andr. Alciat. ad l. 207. ff. de V. S. n. 19. cujus pro-  
bationem ex sequentibus Ecclesiast. c. 38. v. 37. & seqq. petit verbis: Super  
sellam judicis non sedebunt, & testamentum judicis non intelligent,  
neque palàm facient disciplinam & judicium. Licet verò hunc textum  
oratoriè magis conceptum, atque, si de judicio arcendis opificibus intelligi  
deberet, doctrinæ Talmudicæ adversissimum esse doceat Joh. Selden. de  
Synedr. lib. 2. cap. 9. ex eoque Zigler. d. tract. concl. 1. §. 21. Attamen  
hoc, si Alciato credimus, ex dicta Hebræorum lege perinde, ac ex commu-  
ni sensu, sat abunde constat, quod opifices sæpius ambient & affectent ju-  
dicis munus, officia ac dignitates, æque ut alii inhabiles & incapaces, quibus  
6. tamen plane impares sunt. Habiles equidem Magistratûs, Consilarii,  
aut aliud quoddam functionis publicæ officium appetere posse, ipso Apostolo  
teste constat, qui 1. Tim. 3. v. 1. Si quis, inquit, Episcopatum desiderat, bo-  
num opus desiderat, quibus, officio seculari pariter ac Episcopatu congru-  
entibus verbis non peccare eum inquit, qui propter dona sibi divinitus concessa,  
ut inserviat Deo, modestè suam Ecclesiæ aut Reip. offert operam, etsi condignâ  
non dum instructus sit experientiâ, modò divinò nixus auxiliò decenter hoc  
faciat, dum inspectis donis naturæ & gratiis sibi à Deo collatis, scientiæ, pru-  
dentia

dentia aliisve, quibus præ aliis, ut patriæ inserviat, instructus est, se dignum estimat, Als wann ein Lands-Kind seinen Fürsten und Herrn / oder seiner Obrigkeit seine Dienste anbietet / weil Er nunmehr bey Jahren / seine Studia ziemlich weit gebracht / sich hin und wieder in Ampts- oder Regiments-Geschäften geübet / und seinen Vaterlande vor andern zu dienen verbunden sey / welche Begierde Ihm seine Dienste anzubieten treibe, vid. præ cæteris Joh. Koppen. observ. 136. n. 3. atque cum multis allegatis Myler. ab Ehrenbach. in Hyparcholog. c. 7. §. 7. ubi conatum hunc summè laudandum esse dicit, juxta antiquum verivertium: Magistratus Virum ostendit. Neque hæc petitio vocationi contrariatur. Liberum quippe & integrum censendi judicium illis, qui vocationem & electionem habent, relinquitur, an dignus & aptus officio quis sit, nec ne. Imò antiqui prudentes in Reip. administratione hoc ambitionis genus, ut modestè Magistratus à civibus peteretur, omninò necessarium esse putarunt, vel unicò Tacit. teste. l. 15. Annal. c. 20. quam in rem Juvenibus, aliisque, qui ad summos honores adspirare cœperunt, togâ candidâ circumcundi, singulorum animos captandi, operam suam Reipublicæ offerendi, sicq; dignitatis & officii gratia populum ambiendi, ejusque se judicio submittendi, licentiam permiserunt. Sueton. in August. c. 56. At postquam inter illas petitionis rationes, quas ex Cicer. de Consul. prolixâ serie recenset Anton. Matth. de Crim. ad tit. de Amb. c. 1. n. 2. seqq. & quibus comparari oportebat populi studia, divisio quoque pecuniarum & suffragiorum emtio sensim sensimque invalesceret, tantaque esset plerisque honorum cupiditas, ut (verba sunt Varron. de Vit. Pop. Rom.) vel cœlum ruere, dummodo Magistratum adipiscerentur, exoptarent, non potuit non laudatum Ambitum, quem popularem subinde Cicero nominat, infamis ac legum severitate notatus excipere, sicque evidentissimum Ambitus in licitum & illicitum oriri discrimen. Quid? quod sub posteriori significatu omnis fermè deinceps honorum prensatio denotari cœpit. Neque odium saltem unius cujusque boni viri incurrerunt criminis hujus, quod inter publica postmodum ob frequentiam ejus recenseri meruit, rei, sed peculiaribus quoq; subjecti sunt pœnis, quem in finem L. Petiliam, Pinnariam, Calphurniam, Fabiam, Tulliam, Pompejam, Liciniam, Ebutiam, Cinciam aliasque latas esse, testes sunt Hotman. & Paul. Manut. in Libr. de LL. Rom. Omnium postrema est Julia, seu à Julio Cæsare, seu ab Octavio Augusto lata, (utrumque enim de Ambitu coërcendo sollicitum fuisse legimus,) quæ deportationis quoque pœnâ hoc delictum coërceri voluit, ut l. un. C. de Ambit. innuit. Quantumvis autem in Imperiis ac regnis diversis hodiè doctrina hujus de

- Ambitu nullus propemodum videatur usus; tantum tamen abest, ut omnimodam L. Jul. abrogationem affirmare quis ausit, ut potius severam in delin-
12. quentes animadversionem hodiernum optare necessum habeat. Certè quod Harpprecht ad §. 11. J. de P. J. n. 4. itemque Brunnem. in Proc. Inquil. c. 9. n. 88. Ambitum extra pœnam habeant, non tam approbationem hujus criminis innuit, quàm perversam illam seculi nostri tolerantiam dolet ac detestatur. Nam §. moderni nostri seculi ea est depravata indoles, ut licet non per Principes, per eorundem tamen Ministros & Officiales Aulicos varii ad officia & dignitates perveniendi irrepsent modi. Gallia est, quæ inter alios depravatos mores nundinationem quoque officiorum primum recepit, adeo ut perpauci, imò ferè nulli in universa Galliâ inveniuntur Officiales, etiâ Jurisdictionem habentes, qui non presenti pecunia officium sint mercati. Limn. in Regn. Gall. lib. 2. c. 9. fol. 617. seqq. Et licet, quod Historiarum testantur monumenta, Autor hujus nundinationis irreconciliabile unius cujusque incurreret odium, illa ipsa tamen non in Galliâ solum invaluit, sed in
14. alias quoque sensim sensimque irrepsit provincias. Imò non desunt, qui hanc venditionem pro licitâ habent, eumque in finem varia à Myler. ab Ehrensbach. cit. Tract. c. 7. §. 23. & seqq. adducunt argumenta; Sed ipsam meritò increpat Bodin. Polit. lib. 6. c. 2. p. m. 1018. Quoniam, inquit, tam fœdâ tamq; perniciofa est ea mercatura, ut nulla turpior excogitari possit. Conf. Illustris Dn. à Seckendorff in Christen- & Staat lib. 2. c. 12. §. 6. quibus Claudiani quoque, argutissimè hanc in rem canentis Poëtae, apprimè convenit judicium, quando ait:

Cumq; suo demens expellitur Ambitus auro,

Non dominantur opes, non corrumpentia sensus

Dona valent, emitur sola virtute potestas.

16. Sed quid de his plura? Præsto sunt alia infinita Ambitus genera, quæ nec commemorare hic omnes, nedñ dilucidius exponere brevitatis studium admittit. Illud saltem adjiciendum, quod, inter hodiernos ad Officia adspirandi & emergendi modos, is quoq; Ambitus non ultimum meruerit locum, què Uxorium nominare possumus cum Tac. lib. 1. Ann. c. 7. h. e. quo quis nuptias hujus vel illius Ministri vel Patroni Viduæ, Filia, Sorori, Neptæ, Cognatæve pollicetur, sicque per Casum, ut vulgò loquimur, Genitivum Munera publica & Honores ambit. Diu circumspicienti mihi, quid de hac PROMOTIONIS ratione sentiendum & an ad licitos an illicitos emergendi modos referenda sit, tandem placuit, eandem pagellis aliquot, in DISSERTATIONIS ACADEMICÆ (ubi usum non negligendum ab abusu aliàs in omnibus pernicioso discernemus) formam redactis, includere, publicæque ventilationi ac placido Eruditorum examini



mini exercitii gratia exponere. Scilicet, ut per aliquot jam retrò annorum 17.  
 statium Studiorum peractorum rationem reddere, atque specimen illis offerre  
 possem, quorum gratia & benignitate plusquam Paternâ hucusque Themidi  
 litare mihi contigit, vel maxime Thema hoc DE PROMOTIONE AD OFFICIA  
 PER MATRIMONIUM, elegi, quod suâ, ut opinor, nec destituatur jucunditate,  
 nec utilitate. Faxit divinum, quod in re tam arduâ seriò imploro, Numen, ut 18.  
 Conatûs hi cedant feliciter, vergantque in sui ipsius gloriam, Parentis hono-  
 ratissimi gaudium, proximi commodum, meamque salutem. Tu vero, B. L. 19.  
 hasce Studiorum meorum primitias æquo tuo judica judicio, & si in re, hæte-  
 nus minùs succinctè explicatâ, non omnia acu ubiq; tetigisse, aut alicubi erras-  
 se visus fuero, veniam haud gravatim concede. Ego labore hoc ritè defun-  
 ctum me opinabor, si vel intentionem meam iis, quibus non modò non referen-  
 das, sed ne cogitandas quidem gratias reddere unquam potero, viderim proba-  
 tam, memor illius, quod in arduis vel voluisse magni semper fuerit  
 æstimatum. Quod igitur felix faustumque SS. Trinitas esse ju-  
 beat, esto

## CAP. I.

De

Generalibus præcognitis ad rubricæ  
 explicationem pertinentibus.

## SUMMARIA.

§. 1. Ad exemplum l. 1. ff. de J. & J. origo, denotatio & explicatio vocum, in ru-  
 brica præpositarum, præmittitur. §. 2. Impetrationis derivatio & quomodo differat à meriti  
 verbum impetrare §. 3. Promotionis vox unde deducta, variæ acceptiones verbi prome-  
 vere, quomodo h. l. sumatur, & quid per promotionem juxta vulgum intelligamus. §. 4.  
 Etymologia, Homonymia & Synonymia verbi officii ejusdemque varii significatus non-  
 solum ex Jur. Civ. §. 5. Sed etiam ex J. Can. ubi quotupliciter sumatur, quomodo à Digni-  
 tate & Personatu differat, & quo sensu pertineat adhunc tractatum. §. 6. Matrimonii ver-  
 bum facta remissione ad Scriptores ejus materiæ proprios paucis attingitur, ejusdemque  
 potissimæ, quas Jus Civile, Can. Mores, atque Jus Feud. subministrant, divisiones sub-  
 jiciuntur. §. 7. Nefariæ incestæ ac inutiles Nuptiæ huc non pertinent, nec simulatæ,  
 quandoque tamen putativæ, quorum insigne exemplum ex Thuan lib. 26. Histor. &  
 Coras. adjicitur, alia refert Mornac.

§. 1. **Q**uæ Ulpianus in l. 1. pr. ff. de J. & J. optimè præmittit,  
 quod Juri operâ datarum prius nosse oporteat unde nomen Juris  
 descen-

descendat, itemque quid sit : Eadem si certò quòq; respectu huc applicemus, dicamusque, ad Dissertationis nostræ intellectum feliciter omninò prius requiri notitiam, quid intelligamus per *Impetrationem* sive *Promotionem*, per *Officium* & per *Matrimonium*, malè nos haud acturos persuasi sumus.

§.2. Et *Impetrationis* quidem vocabulum à verbo *impetrare*, hoc verò iterum à *patrare* deductum esse, nemo, qui vel primis, ut ita dicamus, labris latinæ linguæ rudimenta gustavit, inficiabitur. Sumitur verò verbum *impetrare* & quidem propriè, ut vult *Fab. in Lex. hoc verb. properficere*. Hinc *Plaut. Pœn. Act. 5. Scen. 2. Incipere multò est, quàm impetrare, facilius*, ubi vid. *Taubman*. Postea hoc verbum ad auspicia translatum est, ut auspices *impetrare* dicantur, cum feliciter inveniunt, ac obtinent, quod sortitione suâ quaesiverunt. Qua translatione factâ tandem communiter usurpari cœpit pro *obtinere, consequi, adipisci, acquirere*, German. *erlangen / erhalten*. Aliquando quidem *impetrare* & *mereri* pro synonymis habentur, atque conjunguntur, sed *impetrare* generalius est, cum impetremus quoque aliquid ex gratiâ vel solis precibus; at *mereri* sit dignum esse, & per modum *Justitiæ* aliquid consequi, German. *erwerben*. Vid. *Martin. Lex. Philol. verb. impetro*. Rectius proinde generali *Impetrationis* verbò in rubricâ usi sumus.

§.3. *Promotionis* verò verbum à *promovere*, quod itidem compositum est ex *pro* & *moveo* deductum esse, nemo iterum, qui vel levi saltem Latinæ linguæ notitia instructus est, ignorabit. *Conf. Fab. in Lex. verb. moveo*. Et quamvis non desint variæ hujus vocis, tum genuinæ, tum spuria significationes; Nos tamen potissimas saltem in præsentis sumus evoluturi. (1.) Igitur *promovere* significat idem, ac *producere, protrahere, & quasi in interiorem locum movere*. *Terent. in Andr. quantum huic promoveo nuptias i. e. produce, protraho*. (2.) denotat idem, quod *extendere, amplificare*. *Quint. lib. 2. Cornua aciei utrinque promovere, it. promovere mœnia, Sueton. in Nerone cap. 16*. (3.) idem est ac *proficere*, v. g. ap. *Terent. in Hec. Abibo hinc præsens, quando promoveo parum*. it. *Gell. lib. 5. Noct. Att. c. 10. Cùm in studio facundiæ abundè promovisset, &c.* (4) Denique idem denotat ac *ad dignitatem promovere, evehere*, German. *befördern / erheben*. Hinc *promovere quem in ampliorem gradum, Sueton. in Othon. cap. 1. vid. Fab. cit. loc. Martin. Lex. Philolog. verb. promoveo*. Et hæc posterior significatio nostro

stro instituto convenit, unde per promotionem nihil aliud intelligi volumus, quàm promotionem & evectionem ad officium, German. Beförderung. Quia tamen hoc substantivum, quantum equidem scimus, apud probatos & classicos Autores non occurrit, meritò voculam impetrationis, quâ Cic. utitur, surrogavimus, atque promotionis verbum in vulgari adjecimus significatione, ad ductum Reyher. qui in *Thesaur. Lat. lingu.* hoc verbum promotionis vulgò idem, ac evectionem ad officium aliquod esse, dicit.

§. 4. *Officii* vox à variis variè derivatur, dum quidam deducunt exinde, quod pro fit multis, officiat nemini; Quidam ab opus & facio, ut ita officium per Syncopen vocetur quasi opificium. *Voss. in Lex. Etymol. verb. officina.* Quidam denique ab efficiendo, quod scil. unicuique pro conditione personæ suæ facere incumbat. Sic, quomodo debeamus omnes esse in officio, eleganter tractat Cic. *libr. 3. Offic.* Sic porrò officium pietatis dicitur in *l. 2. de inoffic. Test.* quod à Parentibus in liberos proficisci debet, atque jus dicentis sive Magistratûs officium latè patere dicitur in *l. 1. ff. de Jurisdic.* hancque posteriorem sententiam non solum *Donat.* sed etiam cum aliis probat *Brissou. de V. S. lib. 13. verb. officium.* Atq; ab hoc vocabulo apud mediæ & infimæ ætatis Scriptores plurima, licet satis barbara, vocabula deducuntur, de quibus vid. *Car. du Fresne in Gloss. ad Script. med. & infim. Latin. verb. officium.* Accipitur autem officium aliquando (1.) pro eò, quod voluntariè seu liberaliter fit, ut in *l. 1. §. ult. mandat.* indeque beneficium designat, quod amicis exhibemus, & quod homo homini præstat, *l. 7. ff. de serv. export.* quò sensu nemini officium suum damnosum esse debet, per *l. 7. ff. test. quemadm. aper.* Frequentius (2.) & magis propriè officium sumitur pro eò, quod unusquisque pro suâ conditione vel obligatione, cum publicâ, tum privatâ facere tenetur. Et in hòc sensu iterum accipitur (3.) vel generaliter pro omni ministeriò, in qua significatione etiam artificium complectitur, teste *Barbos. in Tr. de Appell. verb. Jur. signif. verb. officium. n. 2.* Ita dicitur officium habere *Advocatus c. 2. & de post. Procurator, Notarius, in c. 11. de heret. in VI. coquus in clem. 2. de cens. tabernarius & mace'llarius in clem. 1. de vit. & honest. cler. custos arcis vel portarum, vid. post Petr. de Anch. ad c. 1. de consuet. in VI. Philipp. Dec. ad rubr. & de offic. & pot. Jud. del. apparitores l. 1. C. de appar. Procons. nec non officiales & ministri*

B

Magi-



Magistratum, per l. 6. §. ne tenuis. 5. ff. de offic. Pras. l. 74. §. 1. ff. de evict. vel (4.) specialiter pro munere, & administratione muneris, sive conjuncta sit cum dignitate, sive non, unde in l. 239. §. 3. de V. S. munus publicum dicitur esse officium hominis, ex quo commodum ad singulos universosq; cives, remque eorum imperio Magistratus extraordinarium pervenit, quam descriptionem Pomponii eleganter declarat & illustrat Wissenb. ad tit. de V. S. disp. 45. th. 4. Et in hoc sensu munus sive officium publicum dicitur non solum id, quod in administratione Reip. tantum consistit, & juxta l. 14. §. 1. ff. de mun. & hon. in privatum usum non cadit, ut sunt: *Magistratus*, & id genus aliæ functiones; Verum etiam quod propter privatam utilitatem est introductum per d. l. 239. §. 3. de V. S. Tandem (5) ex eadem ratione beneficium Ecclesiasticum denotat, quia omnia sub se continet ministeria, ad quæ illa obtinens, sive gerens adstrictus, vel deputatus est, vid. cap. 1. de consuet. in VI. ibique adducta ratio: *cum unum officium vix dignè* &c. Gonzalez. ad reg. 8. Lancel. Barbos. ad tit. de offic. & potest. jud. deleg. in rubr. atq; Gonz. Tellez. ad c. 2. de off. jud. Hinc est, quod Barbos. de Appell. verb. Jur. signif. verb. officium, n. 1. officiorum appellatione contineri dicat tam beneficia Ecclesiastica, quam alia munera secularia, non solum publica, sed & privata, licet sint vilia & infima, quia sub appellatione officiorum comprehenduntur omnia ministeria, ad quæ illa obtinens sive gerens adstrictus est.

§. 5. In specie vero quoad *Jus Canon.* officium significat illud beneficium Ecclesiasticum, quod à dignitate & personatu separatur. Beneficium Ecclesiasticum describitur, quod sit jus perpetuum ad percipiendos redditus Ecclesiasticos, ratione spiritualis officii, personæ Ecclesiasticæ, autoritate Ecclesiæ collatum. vid. Engel. in Colleg. Jur. Canon. tit. de preb. & dign. n. 1. Aliis quidem verbis, eodem tamen sensu, beneficium Ecclesiasticum definit, eamq; definitionem ulterius illustrat Gonzal. Tellez. ad c. 1. X. de preb. & dign. n. 13. In eò verò tria distinguenda veniunt: Primum est ipsum officium, sive functio Ecclesiastica, quæ tamen non tam est beneficium, quam causa beneficii, siquidem beneficium datur propter officium, per c. fin. de rescript. in VI. Alterum est *Jus percipiendi fructus* ex bonis Ecclesiasticis propter functionem istam spiritualem. Æquum namque est, ut altari inserviens de altari etiam vivat, per c. 16. X. de preb. Tertium deniq; sunt *fructus percipiendi* ex bonis Ecclesiasticis, qui olim erant divisi in 4. portiones. vid. Less. de Just. & J. c. 34. dub. 1. n. 1. & 2. Inter varias autem beneficii divisione-

visio-

visiones & hæc occurrit, quod aliud dicatur habere annexam *dignitatem*, aliud *personatum*, aliud *officium*. *Dignitas* est præcedentia cum jurisdictione vel præeminentia, seu administratio rerum Ecclesiasticarum cum imperio, qualem habent Episcopi, Prælati, Abbates, Præpositi, Decani, &c. *Personatus* est præcedentia sine jurisdictione, quam habere censetur Senior in Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, vel alius, qui locum magis honorificum in choro aut processionibus obtinet. *Officium* deniq; dicitur administratio sine præcedentiâ speciali aut jurisdictione, qualem administrationem habent Sacristæ, Custodes, Thesaurarii. Vid. de hac differentiâ & ambiguitate dignitatis *Barbos. ad rubr. X. de præb. § dign. n. pen. § ult. Francisc. Duaren. lib. 2. de Sacr. Eccl. Minist. c. 6. Card. Tusch. Concl. Pract. lit. D. concl. 419. § lit. O. concl. 92. Vallens. ad tit. X. de præb. § dign. §. 2. n. 4. seqq.* Atenim verò quantumvis tria hæc: *Dignitas*, *Personatus* & *Officium* Jure Canonum ita subindè distinguantur, usq; adeò tamen perpetuū hoc non est, quo minus eodem jure interdum pro unò eòdemq; accipiantur, quod imprimis testatur *c. cum accessissent. 8. X. de constit.* ut proinde rectius & tutius sit, monentibus Canonistis, consuetudinem cujusq; Ecclesiæ & loci quoad vim istorum nominum inspicere. *Vid. Vallens. cit. loc. n. 7.* Quatenus autem hæc officiorum significatio ad rem nostram faciat, *seqq. Capit.* docebit tractatio, præsertim cum non secundum secularia saltem & digniora, sed etiam secundum alia, & Ecclesiastica quoq; munera, non quidem ex ductu *Juris Canon.* quippe quod ne Clericis quidem minorum Ordinum matrimonium contrahere permittit, alias Statui Clericali renunciaffe censentur, & omnibus beneficiis Ecclesiasticis privantur, per *c. 1. X. de Cler. conjug. Sanchez. de Matrim. lib. 7. disp. 28. § 42.* prout *infra* prolixius explicabimus, sed ad normam potius *Juris Ecclesiastici Protestantium, Promotionem per Matrimonium* examinaturi sumus.

§. 6. Restat, ut de *Matrimonio* pauca adjiciamus. Quia verò denominatio *Matrimonii*, ipsius differentiâ à *Nuptiis*, ac definitio tam obvia est, ut ne quidem Dupondii *Juris* harum rerum ignorantiam allegare possint; Ideò hæc omnia, æquè ac divisiones *Matrimonii*, brevitatis gratia omittimus, atq; *B. L.* ad Scriptores hujus materiæ proprios, interque eos *Didac. Covarruv. Sanchez. de Matrim. l. 2. disp. 1. § seqq.* aliosq; infinitos, de quibus postea, remittimus, hoc solum adjicientes, quod aliter dividatur *matrimonium de Jure Civili*, aliter *de Jure Canon.* aliter *Moribus*, aliter verò *de Jure Feudali.* Et quidem

de Jure Civili in Nuptias primas & secundas, de quib. vid. tot. tit. C. de sec. nupt. Scip. Gent. atq; Arnold. Rath. in tract. de sec. nupt. De Jure Canon. juxta Glossam in c. ult. caus. 28. q. 1. in matrimonium ratum, legitimum, & ratum & legitimum simul. Ratum dicitur, quod neglectis juris solennitatibus, ad nuptias requisitis, solò affectu maritali contrahitur, quale jure Decretalium est matrimonium clandestinum inter fideles, quod tamen post Concil. Trident. sess. 24. de reform. c. 1. nullum est. Legitimum quod secundum LL. vel Provinciæ mores contrahitur, cujusmodi est matrimonium infidelium, quod non est ratum, seu firmum ac indissolubile. Ratum deniq; & legitimum simul vocatur, quod inter fideles secundum leges & patriæ mores contrahitur. Hâc; distinctione Canonistæ potissimum utuntur in divortiorum materiâ, ita quidem, ut posterius, si consummatum fuerit, non aliter dissolvi possit quoad vinculum, quam per mortem alterius conjugis, juxta præceptum juris divini: *Quos Deus conjunxit, homo non separet*, quod exponit Innocent. in c. 8. §. de divort. Prius verò ratum sc. sed non consummatum inter fideles dissolvatur per solennem religionis ingressum, etiam repugnante altero conjugum factum, vid. c. 16. §. de sponsal. & Concil. Trid. sess. 24. can. 6. ubi vid. Barbos. n. 9. quicum Hutard. etiam pro ratò, ratione divortii, habet illud, quod coram Parochò & testibus, copulâ tamen carnali non intercedente contractum est. Moribus quomodo ulterius dividatur matrimonium ex Comment. ff. ad tit. de rit. nupt. & Scriptoribus hujus materiæ propriis, Cypræ. Gentil. Havemann. Kizel. Kling. Harpprecht ad Instit. aliisque liquet. Denique de Jur. Feud. superaddita est divisio matrimonii in simplex & ad Morganaticam contractum, de quò posteriori vid. 2. Feud. 29. ibiq; Bitsch. in not. Dn. Struv. in Synt. Feud. c. 9. ac Dn. Linc. Hospes meus plurimum suspiciendus, in Dissert. speciali de Matrimonio lege Salicâ contractò.

§. 7. Dantur præterea adhuc aliæ species matrimonii, præprimis illiciti; quales sunt incestæ, nefariæ ac inutiles nuptiæ, de quibus vid. Koppen. lib. 1. observ. 37. & seq. Verùm cum hæc potius pœnam mereantur, quàm favorem, à censu nostræ Tractationis haud immeritò excludimus. Dantur etiam simulatæ nuptiæ, cum tacitè aliud agitur, expressè aliud simulatur, quæ in l. 30. ff. de R. N. pro nullis habentur. Simulatio enim quodvis negotium nullum facit, quia consensus planè abest per. l. 6. C. si cert. pet. §. l. 54. de O. & A. cui Juris Civ. dispositioni suffragatur Innocent. III. Pontif. in c. 26. §. de sponsal. & matr. ubi etiam in casu planè singulari, quo quis mulierem ad concubitum aliter induce-

duce-

ducere non potuit, nisi desponsaret, sine ulla solennitate sequentibus usus est verbis: *Te Johannes desponsat*; cum tamen Johannes non vocaretur, & postmodum mulierem cognovit, ex hoc factò conjugium judicari haud posse, statuit. Exagitat quidem hoc responsum Pontificis *Beza in tract. de repud. ac divort.* qui pluribus demonstrare conatur argumentis, sponsalia fuisse rata ac firma, insimulque impostorem ad ea, quæ promisit, servanda cogendum. Rectius tamen *Alberic. Gent. lib. 2. de Nupt. ac Cypræ. de Sponsal.* Pontificis sententiam verissimam esse docent, quod sc. impostor non sit cogendus ad consummationem sponsaliorum, licet alioquin gravem incurrat animadversionem, quam sententiam quoque ex Theologis Evangelic. Eccles. probat *Gerhard. in loc. de Conjug. §. 121. Conf. Gonzal. Tellez. ad cit. c. 26.* qui tamen cum *Sot. Covarruv. Ledem.* aliisque tali in casu, quò quis fictè & simulatè contraxit, matrimonii consensum repetendum, ac verè interponendum esse statuit. An verò, ac quomodo *simulata nuptia*, perinde ac *putativa*, ad nostram tractationem pertineant, inferiùs declarabimus. Sunt autem *nuptia putativa*, quæ de facto celebratæ sunt, sed propter aliquod Juris impedimentum valere non possunt, dicunturque *putativa*, ad veri matrimonii differentiam, quia figuram habent matrimonii & matrimonium creduntur, cum tamen verè non sint. vid. *Gonzal. Tellez. ad c. 2. §. qui fil. sint legit.* Ut verò matrimonium *putativum* dicatur, sequentia necessaria sunt. (1.) Ut contrahatur *bonâ fide*, saltem ab unò ex conjugibus, per *c. 14. §. qui fil. sint leg. atque l. 57. §. 1. de R. N.* quæ b. f. secundum Dd. in dubiò præsumitur, & quidem (2.) *publicè* in facie Ecclesiæ, ut agnoscatur impedimenti ignorantia & bona fides. Nam, si matrimonium clandestinè celebretur, præsumitur scientia impedimenti, insimulque matrimonium dolosè esse contractum, per *l. ult. ff. de rit. nupt.* ubi vid. *Brunnem. nec non ad d. l. 57. §. 1.* Singulare exemplum nuptiarum putativarum occurrit in consuetudine, quam *Bertranda Rolsia*, Artigatenfis, in Diocesi Regiensi Galliæ, cum *Arnaldò Tilliò* habuit, dum hic simulavit, se esse *Martinum Guerram*, *Rolsiæ* maritum, (qui patriâ relictâ per octo annos in castris abfuerat, cui *Arnaldus Tillius* tam similis fuit, ut non nisi exceptâ pedis longitudine ab eò diversus esset,) atque simulatione hâc *Rolsiæ* personâ ita potitus est, ut eam per triennium & eò amplius pro uxore familiari convictu habuerit, cum eâq; duos liberos, quorû alter mortuus, procreaverit. Tandem tamen *Martinus* ex Hispaniâ redux, pro verò *Rolsiæ* maritò agnitus, impostor verò *Arnaldus Tillius* ad suspendium damnatus est,



est, bonis ejus filix superstiti, ex Rolsiâ procreatæ, adjudicatis. Vid. *Jacob. Aug. Thuan. lib. 26. Histor. ad annum 1560. atque Arrest. Tholosan. in hac caus. matrimon. prolatum*, cujus argumentum & facti enarrationem annotationibus declaravit *Coras*. Alia exempla nuptiarum putativarum recenset *Mornac. ad. d. l. 57. de R. N.* Et hæc quoad generalia præcognita sufficiant.

## CAP. II.

De

## Promotionis per Matrimonium Justitiâ &amp; Æquitate.

## SUMMARIÆ.

§. 1. Transitus ad hoc caput. §. 2. Explicatio & divisio finium matrimonii in proprios & peregrinos, ex quibus potissimum Justitia & Æquitas hujus nostræ promotionis judicanda est. §. 3. Quid sint fines matrimonii peregrini, quotuplices sint, & ad quos pertineat promotio per matrimonium. §. 4. Principum connubia amplificandi Statûs ac territorii causa non improbantur. §. 5. Nec etiam, certâ ratione, quæ privatus, ut suum commodum promoveat, contrahit. §. 6. Distinguendi tamen sunt casûs, quorum primus est: Si indignus per matrimonium officia ambit, qui reprobatur. §. 7. Alter est, si dignus quidem sit, sed itidem primariò propter officia nuptias contrahit, qui rursus rejicitur, & additur, unde hæc intentio cognoscenda. §. 8. Tertius casus est, quando dignus, sed non nisi secundariò ad munera & honores evehi intendit, ille probatur, & §. 9. ulterius argumentò à dote deductò comprobatur. §. 10. An permixta sit illa promotio, quæ non tam favorem, quàm onus contrahentis continet, quando scilicet non aliter ad functionem admittitur, quàm ut hanc vel illam personam in matrimonium ducat? Ubi rationes pro negativâ. §. 11. Rationes pro affirmativâ, quæ probatur, proponuntur. §. 12. In simulq; declarationes adjiciuntur.

§. 1. **P**Ræmissis generalioribus, nunc quoq; ad specialiores thematis nostri tractationem accedimus; quæ, quandoquidem eò unicè nititur fundamentò, ut sciamus, an licitum sit per matrimonia ad officia & honores contendere, nec ne? idcirco ante omnia *Justitiam & Æquitatem* hujus *Promotionis* evolvere, insimulque in *fines matrimonii* paulò altius inquirere, operæ pretium erit.

§. 2. Sunt autem *fines matrimonii* alii proprii, alii peregrini. Inter proprios iterum alius est *generalis & remotus*, alii vero sunt *speciales & proximi*; iiq; tum *principales*, tum *minus principales*, qui omnes ex causis, propter



propter quas conjugalis societas instituta est, satis colligi possunt. *Finis remotus* & *generalis* matrimonii est Dei gloria, quæ, ut omnium divinarum ordinationum, ita hujus etiam sanctissimæ ordinationis conjugalis finis ultimus & supremus rectè statuitur, ut demonstrat *Gerhard. de Conjug. §. 417. Fines proprii, & quidem principales*, qui cum ipsò statim conjugio nati, eidemque coævi sunt, consistunt in sobolis procreatione & educatione. Contrahentibus quippe matrimonium incumbit non solum dare substantiam & esse naturale homini, sed & rationale, & ea, quæ hominis sunt, ut ad virtutes & vitam civilem assuefiat. Ex hõc fine porro descendit familiarum propagatio, nec non Reip. & Ecclesiæ conservatio. Qui verò post lapsum Protoplastorum accessit, est mutuuum adjutorium, quod conjuges sibi invicem præstare debent, non solum in vitâ civili, in re familiari parandâ & augendâ, in liberis educandis, & adversis tolerandis, sed etiam in vitâ spirituali, in precibus sc. aliisque pietatis exercitiis; *Minus principalis* verò, aut accessorius est scortationis evitatio, & castitatis conservatio, juxta dictum. *Apost. 1. Cor. 7. v. 2. & 9. vid. Gerh. cit. loc. §. 418. seqq. Wesenbec. ad ff. de rit. Nupt. Mejer. in Coll. Arg. eod. tit. th. 26. & Henning. Arnif. de Jur. Connub. c. 6. sect. 8. n. 5. Conf. quoque l. 1. sol. matr. N. 22. in pr. l. 220. §. 3. de V. S. ibique Gædd. atque Dn. Thomas. Jurisprud. divin. lib. 3. c. 2. §. 62. & seqq. ubi etiam, sepositâ revelatione, duplicem ob causam hominem ad appetendam conjunctionem ferri tradit, ut generetur soboles, & libido reprimatur, quibus conjugii finibus mutuuum adjutorium, tanquam secundarium, superaddit, illudq; iterum in *ordinarium & extraordinarium* distinguit, quorum posterius esse dicit, si v. g. paupertate prematur paterfamilias, ut servos & ancillas alere nequeat, tunc enim ob defectum societatis herilis, necesse erit, ut servi vices gerat maritus, ancillæ verò uxor.*

§. 3. Qui extra fines jam relatos in matrimonio à contrahentibus intenduntur, meritò *fines peregrini & anomali* appellantur. Cum enim illi soli in sacrò Codice pro finibus matrimonii genuinis habeantur, itemque, abstrahendo à revelatione, in societate conjugali respiciantur, ut ex *Gerh. & Thomas. c. l.* deduximus, per necessariam quoque consequentiam sequitur, quod reliqui fines omnes, quos quis cæterokin in matrimonio sibi proposuit, pro *peregrinis & irregularibus* habendi sint. Unde quinã sint peregrini in genere, facili negotio cognoscere licet, quorum tamen duplex iterum apparet differentia. Quidam enim suâ naturâ boni sunt, i. e. qui per se verbo & præcepto Dei in ineundò conjugio lato minimè adversantur, aut *hactenus indifferen-*  
tes,

tes, h. e. nisi accedat alia quædam ratio, neque boni neque mali in & per se nominandi, quales sunt: conjunctio familiarum, inimicorum reconciliatio, pacis confirmatio &c. Quidam verò in, per se, & suâ naturâ mali existunt, uti solus libidinis & voluptatis explendæ appetitus, item, ut alteri ægrè fiat, ut insidiæ occultæ ipsi struantur, aliique plures, eundem respicientes effectum. Jam, cum propositum, ut quis per matrimonium obtineat officia, dignitatesve, quæcunq; tandem sint, æquè ac acquisitio divitiarum inter proprios matrimonii fines referri neutiquam possit, sequitur omnino, quod pertineat ad fines peregrinos adscititios, & irregulares, non quidem ad illos, qui per se, & suâ naturâ mali sunt, sed, si non ad bonos, ad minimum tamen ad indifferentes, perinde ut dotis causa præsertim pinguioris, & divitiarum amplissimarum acquisitio, de quib. infra §. 9. h. Cap. & seqq. uberius dicturi sumus. Confer. interim exemplum Caroli M. Francorum Regis, & postea Imperat. filiam suam *Immam* in manum Scribæ *Eginhardi* dantis, cum dote plurimâ cumq; innumeris aureis argenteisque donariis, ac pretiosis supellectilibus, quod recenset *Henric. Salmuth. in Resp. pro Matr. Princip. cum Virg. nob. fol. 77.*

§. 4. Fatemur equidem, discrimen quoad hunc finem peregrinum, acquirendi divitias, faciendum esse inter causam publicam & privatam. Principum enim connubia ex privatorum regulis semper æstimare, in signis profectò foret imprudentiæ, nescimus an impudentiæ. Nâ, cum Principum aliarumq; personarû illustrium ea non rarò soleat esse conditio, ut ex matrimoniis, moribus quandoq; suis minimè congruis, ingens Reip. suæ quærere munimentum, adeoq; propriam hâc in re felicitatem Reip. sæpius salutem postponere, ac Statui, non amori, inservire necessum habeant, hoc quoq; ipsis invidendum non erit, ut, publicum privato præferentes commodum, matrimonium ex ratione Status sui amplificandi contrahant. Elegans hanc in rem *Melandri Regis* ad Filium suum reperimus monitum, qui ap. *Barclaj. in Argen. c. 3. p. 1. Privatorum*, inquit, est eligere matrimonia ex amicitie affectu vel morum concordia; Nobis illa suavitas exuenda est. Regum enim fortuna est, ut nunc indignos & exosos per sanctissima fœdera sibi conjungant, nunc omnium nexuum iura, omnisq; sanguinis charitatem in humana necessitas negligat, Charissimus esse solet, qui utilitate præcipuâ potentiam nostram alit; Et affinitates vulcerrimæ censentur, quæcunq; regnum stabiliunt. Et hoc quidem mediò Principes varias territoriis suis & olim adjece-  
runt, & hodiè adjicere solent provincias; hæcque via est, quâ sæpius tran-

transitus fit ad imperium. Quod enim pro commodis, imperia regionesque connectendi, instrumentis, pro modis, meliores fortunarum suarum accessiones faciendi, sicque pro maximo Reip. commodo, plus simplici vice haecenus aestimata fuerint matrimonia Principum, ipsa variorum regnorum testatur experientia. *vid. Forstn. ad Tac. Annal. l. 1. Exempla hanc in rem recenset Myler. ab Ehrenbach in Gamolog. Pers. illustr. c. 4. sect. 1. n. 2. seqq.* ex quibus liquet, multas in Imperio Romano - Germanico reperiri Familias illustres, quae status sui amplificandi causa matrimonium cum filiabus illustribus contraxerunt, cumque ipsis provincias ac dynastias latissimas acquisiverunt; quod sane improbari nequaquam potest, modo matrimonium tale pro libero arbitrio proprioque instinctu Magnatum contrahatur. Secus est, si ad talia matrimonia Principes quasi adigantur & adstringantur, v. g. Si Princeps, vel Comes Imperii in bonis gentilitiis, aut juri Primogeniturae subjectis, suo ultimo elogio hanc conditionem adjiciat, ut filius aut successor uxorem ducat ex hac vel illa familia illustri, hacque deficiente primogenii successione eum privet: vel si Pater aut Agnatus illustris legato addat hanc conditionem, ut Titius Olympiam ducat, aut legato careat. Ejusmodi enim conditionibus in bonis gentilitiis, vel juri Primogeniturae subjectis (secus in bonis allodialibus) Principem minime gravari posse, neque ad implendum tale matrimonium teneri, omni caret dubio, quemadmodum eleganter rationibus pro & contra deduxit *Myler. ab Ehrenbach in Gamol. Pers. Illustr. cap. 4. sect. 2. n. 21. § 26.* ubi etiam plures spinosas quaestiones, Matrimonia ex ratione Status concernentes, pertractat, & satis accurate decidit, quod plura lecturum remittimus.

§. 5. Sed enim verò licet à themate hoc Principum connubia lubentissimi excludamus, ea tamen, quae de eorum matrimoniis, status ac territorii amplificandi causa, recensuimus, eò quam maxime collimant, ut innuant, finem hunc, quo quis salutem aut commodum suum per matrimonium promovere studet, ad peregrinos quidem, non autem malos, sed si non ad bonos, ad minimum tamen ad indifferentes non immerito referri posse fines; nec peccare, aut abuti proinde conjugio eum, qui primarios in contrahendo principaliter intendit, secundario verò, ut in simul ad officia promoveatur, hocque modo meliorem sibi acquirat sustentationem: alioquin, si haec intentio cum matrimonii honestate pugnaret, ne Principibus quidem matrimonia haecenus enarrata permessa essent. Nam & hi, si à Naturæ

C

&amp; ra-



& rationis præscripto deflectant, vindictam divinam gravio-  
 quò gravius peccant, experiuntur. *Vid. cum Arnif. Hahn. ad Wesen-  
 bec. de LL. n. 5. in fin.* Quod si autem, neglectis & sepositis finibus pri-  
 mariis, principaliter quis peregrinũ hunc, ut ad dignitates vel officia  
 per matrimonium evenatur, sibi habet præfixum, tunc longè aliter  
 sese rem habere, in apricò est. Quapropter, ut dilucidius hoc pateat,  
 præter fines matrimonii, porrò erit distinguendum: *An quis ad officia  
 publica per matrimonium primariò eveni curet, quibus tamen nequaquam  
 dignus est; An verò eadem tunc affectet, quando ad illa subeunda est idoneus.*

§. 6. Hisce præmissis jam certi considerandi sunt casus,  
 quorum primus est, quando indignus per matrimonium ad munera &  
 honores aspirat. Ex duplici causâ casum hunc inhonestum & illi-  
 citum esse censemus, quia (1.) ad officia publica non datur ac-  
 cessus, nisi fiat per media ordinaria, quale matrimonium in hõc  
 fine heterogeneo planè esse nequit, cum per matrimonium habi-  
 lis reddi haud possit, qui cæteroquin inidoneus est & ineptus,  
 hinc quàm maximè matrimonio abutitur, perinde ut is, qui, negle-  
 ctò sine propriò, per matrimonium divitias, hereditatem, aut aliud  
 quoddam commodum quærit, qui abusus propterea (2.) dupli-  
 catur, quod, tanquam inhabilis, judicandi munus, aut aliud officium  
 publicum ambiat. Sanè inhabilem ab omnibus muneribus remo-  
 vendum esse, quin & sponte suâ ab iis abstinere debere, ipsa ratio  
 naturalis jubet, cum ab eo, per quod verisimiliter damnum dari pos-  
 sit, omninò sit abstinendum. Non potest autem non ingens & ad  
 Principem, & ad totam Rempubl. redundare damnum, si incapaces  
 & imperiti ad munera publica admoveantur, quibuscum melius  
 ageretur, si ad stivam vel caulam, quam ad aulam, ablegarentur. Is  
 enim, qui ad officium, cui præest, planè capax non est, quomodo quæ-  
 so ingruentia Reipubl. mala avertere, aut salutem ejus vel Principis  
 promovere poterit, ut non potius omnes ejusdem actiones in evi-  
 dentissimum Reipubl. damnum vergant? Dolendum ergò, quod,  
 neglectis veris virtutibus, ac optimis prudentiæ, doctrinæ & pieta-  
 tis testimoniis, minus idoneis, quos favor sanguinis aut affectus  
 commendat, ac cæcâ opinione officiis administrandis dignos censet,  
 conferri subinde videamus officia, qui ea tamen solummodo dede-  
 corant, Justitiam negligunt, jura corrumpunt, pauperes opprimunt,  
 potentioribus abutuntur, totamque Remp. miserè vexant, in quos  
 depravatos mores & ineptos officiales, cum *Ames. de Cas. consc. l. 4. c.  
 25. qu. 4. Damhouder. pr. crim. c. 131. atque Ant. Matth. de Crim. tit. de  
 ambitu*

ambitu c. 2. n. 3. Dan. Heins. in laud. Asin. durioribus quoque verbis invehitur Simon à Grænew. de LL. abrog. ad l. 1. §. 1. ff. de L. Jul. de amb. n. 2. seq. quæ, ne nostra faciamus, ex perlustratione Autoris B. L. cognoscet. Quemadmodum igitur damnum non solum dolò datur, sed & culpâ, h. e. per imperitiam, & artis ejus, quam quis profitetur, ignorantiam, juxta l. 132. ff. de R. J. ubi imperitia culpæ annumeratur; Ita, quæ in l. 5. §. 4. ff. de O. & A. l. fin. ff. de extraordin. cognit. §. 1. J. de obl. quæ ex del. nasc. habentur, quod scil. Judex, qui per imperitiam aut imprudentiam judicat, delinquere & litem suam facere dicatur, optimè huc quoq; collimant, & hypothesin nostram stabiliunt, cum præsertim à judicis munere ad alia officia firmissima sit consequentia.

§. 7. Alter casus est: Quando quis equidem officiis dignus est, attamen per matrimonium non tam primario ejus fines proprios, sed irregularem hunc intendit, ut ad munera & honores promoveatur. Et de hoc idem, quod de priori propositum, ipsum scil. itidem illicitum esse, statuendum est. Quamvis enim quoad hunc casum inhabilitas cadat, & capacitas contrahentis ipsum quodammodo excusare videatur. Attamen vitium in modo promovendi latet, quod per qualitatem personæ nequaquam purgatur, nec accessum ad officia publica facit honestum, cum & hoc casu matrimoniò, tanquam mediò promovendi inordinatò, quis abutatur, atque functiones publicas incongruè appetat. Inter homines equidem minus peccare videtur, qui idoneus, quam qui inhabilis est; In conscientia tamen, ad quam tranquillandam habilitas ista sola non sufficit, nequaquam erit tutus, cum præsertim nemo eam de se prædicare habilitatem possit, ut non varios undiquaque in se reperiatur defectus. Zigl. in Dicast. concl. 4. & 5. Unde etiam, perinde ut incapaces & indigni, sæpius temeritatis suæ subinde luunt pœnas, ac proprio exemplo addiscunt, quod alienò didicisse cautius erat: Quod nimirum de illatâ sibi injuriâ, vel denegata deinceps Justitia, conqueri nequaquam possint, si, ad dissolvendum infelix tale matrimonium, nullam planè nec actionem, nec aliud Juris remedium sibi competere experiantur. Quamvis enim perverso maximè fine initum fuerit istud conjugium, cum tamen quoad reliquas partes essentielles & internas causas perfectum sit, & matrimonium non ita, ut alii contractus, dissolvi possit, hinc sibi quoq; habeant & imputent contrahentes, si nunquam ferè tali labe affecta conjugia felicem habuisse exitum, experientia, stultorum Magistrâ, addiscere cogantur. Cognoscimus autem secundum hunc casum



& quod quis non tam proprios matrimonii, quam promotonis primario respexerit fines, inter alia potissimum ex eo, si quis Viri eminentioris filiam, sororem, neptem, aliamve cognatam, gibbosam, rixosam, doliarem, morbo, aut deformitate laborantem, aliisque, quæ ut plurimum talibus personis, per quas promotio contingit, solent adjuncta esse, vitiis inquinatam, in matrimonium ducat, ut vel quilibet judicare possit, nuptias contrahentem non tam sacri connubii fines genuinos, quam potius aliud quid intendisse. Ex conjecturis quippe, aliisque præsumptionibus judicanda potissimum est intentio contrahentis, an secundo, an vero primario per matrimonium officia ambiat. Idque, cum æstimare perquam difficile sit, cujusque conscientia scrutinio relinquimus, ut ipse examinet, quò fine matrimonium contraxerit, insimulque perpendat, quod supremo Numini, optimo conscientiarum scrutatori, pro meritis propterea dare debeat poenas.

§. 8. *Tertius casus* hanc potissimum concernit quæstionem: An eundem reatum incurrat, qui idoneus & capax est, ac secundo per nuptias, cum hac vel illa personâ contrahendas, ad officium vel dignitatem aliquam contendit, primario autem & principaliter ea cura habet cordique, quæ matrimonium perfectum pariter ac honestum faciunt? Et hujus quidem cum diversa sit, quam priorum casuum, ratio, igitur aliud etiam h. l. erit statuendum, & dicendum potius, nec medium tale, scopum suum consequendi, esse illicitum, nec per consequens ita contrahentem matrimonium peccare. Medium istud, hoc modo ad munera publica perveniendi, non esse illicitum, sequentibus probamus. Non solum enim matrimonium bonum, honestum, ac licitum est, in & per se, utpote à Deo ipso institutum, sed & appetere officia, honores, dignitatesve, etiam in Ecclesiasticis *1. Tim. 3. v. 1.* bonum est, honestum ac licitum, ut in *Proæm.* demonstravimus. Quomodo ergo ex duplici isto rerum honestarum ac licitarum appetitu quicquam inhonesti ac illiciti poterit elici? Concedimus equidem, appetere honores, officia, dignitates, non esse finem conjugii primarium, neque proprium, sed saltem, uti supra diximus, peregrinum, aut heterogeneum. At enim vero fines quoque peregrinos, bonos autem, aut hactenus indifferentes, in ineundo conjugio secundo intendi posse, quis unquam dubitavit, aut illud negare ausit? Quandoquidem igitur hoc modo ambiens honores nec in actu inhonesto, nec illicito versatur, per consequens nec peccatum committere dicendus erit, præprimis

primis, cum in præfenti casu id quàm maximè supponamus, quod non solum ad dignitates, quas petit, sit satis idoneus, verùm etiam, reliqua, quæ desiderium istud honorum possunt facere inhonestum ac illicitum, diligentissimè fugiat. Accedit nostræ opinioni firmæ argumentum, à comparatis desumptum, & quidem ab exemplo ejus, qui propter delictum aliquod commissum jam condemnatus est. Eum, si sui liberandi causa cum filiâ judicis matrimonium contrahat, optimâ ratione excusari posse, communis est Moralistarum opinio, uti post alios fusè deducit Sanchez. de Matrim. lib. 4. disp. 12. Paul. Laym. Theol. Moral. lib. 5. tract. 10. p. 2. c. 5. n. 2. Sanè à majori ad minus, h. e. ab isto casu ad nostrum argumentari quin concessum sit, nemo dubitabit. Majus autem esse hoc, quàm illud, probamus ita: quod (1.) in priori casu sermo sit de criminalibus, ubi Reip. interest, ut delicta puniantur, per l. 13. ff. de off. Præs. in nostro saltem de civilibus, adeoque de leviori casu. (2.) quod, si fines matrimonii respiciamus, ille, ut reus per nuptias elabendi inveniatur occasionem, ad maximè peregrinos referendus sit. Jam si ille potest excusari, qui hunc finem peregrinum in conjugio ineundo intendit, multò magis excusandus & à peccato liber dicendus erit is, qui finem nostrum favorabiliorem secundariò in matrimonio quærit.

§. 9. Succurrunt porrò pro stabiliendâ affirmativâ nonnulla ex Jure Civili, hîc non immerito adjicienda. Scil. notissima est in Jure nostro materia dotium, quæ nuptiis ut plurimum accedere solent, uti paucissimis jam ante in §. 3. h. Cap. demonstravimus; imò Reip. interesse dicitur, mulieribus dotes suas salvas esse, propter quas nubere possint, l. 2. ff. de jur. dot. l. 1. ff. sol. matr. l. 9. §. 1. de condict. caus. dat. l. 18. ff. de reb. aut. jud. poss. Et cum facilius quis ducat eam, quæ matrimonii onera sublevare potest; Ideò non solum de dotibus jura constituenda fuerunt, ut fatetur Autor Coll. Argent. de jur. dot. th. 3. sed & patri impositum esse legimus, ut, & citra promissionem, dotare cogatur, in l. 19. de R. N. l. 6. ff. de collat. §. l. ult. C. de dot. promiss. & quidem pro modo facultatum suarum, & dignitate mariti per l. 69. §. 4. de Jur. dot. Quod si hæc cum præfenti nostro themate comparamus, primò statim intuitu apparebit, inter intentionem pariter, ac totam actionem hujus, qui per nuptias secundariò functionem aliquam acquirat, & illius, qui dotem, præcipuè insignem, cum muliere accipit, nullam planè esse differentiam, adeoque neutrum in actu illicito ac inhonesto versari, nec periculo sese exponere. Finis ejus, qui cum

divite muliere contrahit, procul dubio est, ut per opes, hâc ratione acquisitas, sustentationem vitæ congruam habeat: Alterius, qui per nuptias ad functionem aliquam adspirat, est, ut per promotionem illam, ejusdemque redditus, itidem sibi suisque prospiciat, & necessaria alimenta indefessò suò labore acquirat. Neutrius sanè improbanda intentio, modò uterq; non primariò, sed per accidens & secundariò hoc quærat. Omnia enim cum grano salis, & suppositis terminis habilibus, h. e. omnibus justis requisitis, sunt intelligenda. Denique hæc intentio ad ipsos quoq; matrimonii fines principales & proprios, & quidem ad mutuuum adiutorium, non incomtè transferri, adeoq; ita contrahens tantò melius defendi posse videtur. Eò ipsò enim mulier, dum veluti dotis loco honestam marito stationem comparat, unde sibi suisque prospicere possit, non spernendum, sed insigne aliquod mutui adiutorii genus eidem præstat.

§. 10. Cæterum quoniam matrimonium, per quod quis ad functiones & officia promovetur, duplicem præprimis ob causam contrahitur: Primò, quatenus concernit favorem contrahentis, dum ambiens dignitates pro lubitu matrimonium contrahit, ut hòc modò ad dignitates evehatur; Secundò, quatenus concernit promovendionus, cum non aliter ad functionem admittitur, quàm ut hanc vel illam foeminam, aut prædecessoris defuncti viduam, filiamve in matrimonium ducat. Idcirco, quia de priori casu hæctenus, ut opinamur, sat abunde egimus, restat, ut posteriorem nunc paulò penitius inspiciamus. Et quidem, quòd matrimonia debeant esse libera, nec metu pœnæ quis ad hoc vel illud conjugium ineundum adstringi possit, juri maximè convenit, per text. in l. 2. C. de inut. stipul. §. c. gemma 29. & de sponsal. ubi post alleg. vid. Barbos. Nam cum conjugium nihil aliud sit, quàm duorum undiquaque consentientium voluntas, honestum putarunt LLatores & Jcti, illud amore potius, quàm metu & onere conciliari. Franc. Connan. lib. 8. comm. J. C. c. 2. & inhonestum è contrariò, vinculo pœnæ quempiam adstringere, juxta l. Titia. 134. in pr. ff. de V. O. Unde fluit, quòd omnis conditio impeditiva matrimonii jure rejicienda veniat, sicq; etiam hoc improbandum sit onus, quòd aliter quis ad spartam quandã non admittatur, quàm si defuncti antecessoris viduam vel filiam in uxorem duxerit. Quæ ratio est, quòd & in Principum personis ejusmodi nuptias improbaverimus in §. 4. buj. Cap. cum Myler. ab Ehrenbach l. c.



§. 11. Verumenimverò recte docet *Franc. Conn. cit. lib. 8. cap. 2. n. 6.* quod ea, quæ invitant Nos, & excitant ad matrimonium, valeant & Legibus comprobata sint, unde *Ulpian. in l. 15. ff. de cond. & demonstr.* respondet: Cui fuerit sub hâc conditione legatum, si in familiâ nupsisset, videtur adimpleta conditio statim, ac ducta est uxor. & *Papinian. in l. 71. §. 1. eod.* Titio centum relicta sunt, ut *Meviam* uxorem ducat, conditio non remittitur, i. e. legatum non debetur, nisi caveat se ducturum *Meviam*, ob quem textum *Barbos.* & *DD.* communiter censent, valere conditionem contrahendi nuptias cum certô personarum genere. Idem asserunt *Impp. in l. 1. C. de instit. & substit.* ubi rescribunt, quod hereditas relicta sub conditione, *Anthylli* filio si nupsisset, non prius debeatur, quam si conditioni quis paruerit. Juris siquidem est vulgaris, quod unus quisq; possit conditionem rei suæ, quam relinquit, ac donat, apponere: *l. 20. §. 1. ff. de pact. dot. l. 1. ff. de solut. cui, si quis non pareat, nihil acquirit. Peregr. de Fideic. art. 16. n. 116. seqq.* Jam, si Jurisdictioni non contrariatur, testatorem spe præmii, lucri, aut successionis aliquem ad matrimonium allicere & invitare posse, valebit quoque hæc conditio, à Superiore, vel per consuetudinem, muneri cuidam adjuncta, ut ad id adspirans cum certô genere personarum nuptias contrahat, vel ut successor hanc vel illam ex familiâ antecessoris ducat, quod vel maximè ex Sacris exemplo *Isaaci* comprobari videtur, qui filio suo *Jacobo* præcepit, ut uxorem acciperet de filiis *Laban*. Quin imò ipse *Deus Num. ult. vers. 7. & seq.* præcepit, ut omnes viri ducant uxores de tribu & cognatione suâ, & cunctæ foeminae de eadem tribu maritos accipiant, ut hereditas permaneat in familiis.

§. 12. Neque hõc modò libertas matrimonii planè impeditur, aut facultas liberè contrahendi adimitur, sed solum ex parte & quidem determinativè restringitur, hõc q; modò per præmium quis ad matrimonium invitatur; cæteroquin autem, si functionem non ambiat, libera nubendi facultas relinquatur. Posse autem ex parte & quidem determinativè ad hanc vel illam familiam matrimonium restringi, atque lucri spe ad illud quis invitari, testes sunt *Bart. ad cit. l. 71. §. 1. de cond. & demonstr. Jason. ad l. 1. C. de instit. & substit. p. 2. Guilielm. Bened. in Cap. Raynutius. verb. cuidam Petro tradiderunt. num. 1. & seqv. atque Covarruv. de Matrim. p. 2. c. 3. num. 6. & 7. Conf. Knipschild de Fideicom. fam. nobil. c. 6. n. 385. ac cum mult. seqq. Myler. ab Ehrensbach in Gamol. c. 4. sect. 2. n. 22. & 23. quæ omnia fat aperte arguunt, quod*

quod tolerari queant statuta vel mores, quibus sub eâ conditione idonei invitantur ad functiones & munera publica, ut fœminam ex defuncti antecessoris familiâ ducant, modò hâc ratione matrimonia non reddantur coacta, quæ difficiles habent exitus, *per c. 17. de sponsal. nec promovendis injungatur miserum & infelix matrimonium.* Cùm enim individua vitæ consuetudo in connubio desideretur, *per l. 1. ff. de R. N.* summam sane impietatem saperet, si quamvis morbô, aut nimiâ deformitate laborantem, aliisque vitiis inquinatam, aut ætatis profectioris fœminam, quæ florem formæ planè amisit, ei, qui ad officium adspirat, statuta obtruderent. it. si cùm plures essent, quæ duci queunt, liberam electionem auferre, & ad certas personas adstringere, tandemque capaces, jam uxoratos, aut votis ligatos, vel etiam ad matrimonium parum aptos, excludere vellent. Si quidem statuta talia per rationem non nisi de liberis personis accipi, minimè verò ad nuptas, earumque exclusionem extendi possunt, teste *Mev. p. 3. dec. 38. n. 2. seq.* Quodvis etiam præceptum nubendi tunc demum admittitur, si honestè adimpleri possit, alioquin conditio rejicitur, & pro non adjectâ habetur, *per l. 63. §. 1. de cond. & demonstr. Knipsch. cit. c. 6. n. 387. ibiq; alleg. Molin. de quibus declarationibus in Cap. subseq. circa Formam nostræ promotionis uberiùs dicturi sumus.*

### CAP. III.

De

## Impetratione Officiorum, sive Promotione per Matrimonium in specie, præcipuè quoad functiones Ecclesiasticas.

### SUMMARIA.

§. 1. Post Synonyma proponit definitionem promotionis per matrimonium. §. 2. Divisio hujus promotionis quadruplex proponitur, insimulque, quoad consuetudinem, ut Parochus antecessoris filiam vel viduam ducat. §. 4. præmittitur discursus de Clericorum conjugis, quæ licita fuisse, quoad Jus Div. ex variis S. Script. locis probatur, imò certò respectu de J. Civ. §. 5. Quoad præscos Canones considerantur duæ quæstiones circa conjugia Clericorum, quæ tamen communiter confunduntur. §. 6. Postmodum de J. Can. recentiori invaluit totalis prohibitio matrimonialis copulæ inter Clericos. §. 7. Evincitur, quod hæc prohibitio ex merâ lege humanâ dependeat, unde ab eâ quoq; non immeritò

ritò recessit nostra Ecclesia. §. 8. Odium secundarum nuptiarum ex J. antiquo deducitur, unde colligitur, quòd multò magis quoad Clericorum personas reprobandæ sint. §. 9. Divisio secundarum nuptiarum, sive bigamiæ in illam, quæ contingit solutò matrimonio per mortem, & eam, quæ factò divortio initur. Hæc probè à se invicem sunt distinguenda, quia prior de omni Jure licita est. §. 10. Posterior verò, quæ viva adhuc conjuge, divortio separata, maximo perè ob frequentissima divortia improbata fuit, ut adeò de posteriori potius, quàm priori intelligenda esse verba Apostoli 1. Tim. 3. non malè asserant varii Theologi pariter ac J. Cti. §. 11. 12. 13. Quod promotio per matrimonium quoad functiones Ecclesiasticas, & consuetudo, circa eam passim recepta, toleranda sit, per varias deducitur rationes. §. 14. Annectuntur tamen certæ declarationes, sub quibus hæc consuetudo toleranda, quæ Præjudiciis Theologicis confirmatur, atque ad ministros quoque secundarios Ecclesiæ extenditur. §. 15. Causa efficiens, Subjectum & Objectum hujus promotionis proponitur. §. 16. Forma & effectus adjungitur.

§. 1. **P**ostquam hæctenus *Justitiam & Æquitatem Impetrationis nostræ, sive Promotionis per Matrimonium*, mediantibus nonnullis casibus, deduximus, ejusque esse morale demonstravimus; Eadem nunc quoque in specie, non equidem quoad *synonyma*, (de quibus ex hæctenus dictis passim liquet, quod non incongruè *ambitus uxoris*, & ut jocosam, juxta ac notissimam, minus tamen honestam prætereamus denominationem, *Promotio per casum genitivum* vocari possit,) sed quoad *definitionem, divisiones & causas* consideranda est. Quia verò non solum definitiones in Jure nostro certo respectu periculosæ dicuntur, *juxta l. 202. de R. J.* sed etiam nulla ferè res perfecte definiri potest; ideò aliqualem saltem hujus nostræ *promotionis* delineationem sive descriptionem, & quidem sequentem subjungere placet, *quod Promotio ad Officia per Matrimonium sit actus, quo quis, mediante matrimonio alicujus scemine, ad functionem aut munus publicum adspirat: vel quo quis eâ ratione ad munus aliquod publicum evebitur, ut simul hanc vel illam sceminam in matrimonium ducat.*

§. 2. Meritò autem generis loco *actus* verbo, tanquam generali, usi sumus. Nam qui stipulatur, qui credit pecuniam, qui emit, vendit, locat, conducit, paciscitur, testatur, agere vel facere quid dicitur, ut adeò hoc verbum comprehendat omnia, quæ re & verbis aguntur, per *l. 19. ff. de V. S. l. 34. de R. J. l. 7. §. fin. ff. de curat. fur. l. 7. §. 12. de pact. & §. 10. J. de test. ordin. Wissenb. ad tit. d. V. S. disp. 8. th. 17. atque Lauterb. de Arrh. c. 2. th. 29.* Rectè ergò & is agere quid dicitur, qui per matrimonium intendit, ut ad officia promoveatur. Reliqua verba innuunt *differentiam specificam hujus actus* ab aliis negotiis, quippe contrahens hoc modo matrimonium pro *causâ impulsivâ* atq; *finali*

D.

habet

habet spem consequendæ dignitatis, adipiscendique salarium, per quod se suosque sustentare queat, unde satis apparet hoc matrimonium à reliquis in eò differre, quod, præter finem proprium, etiam alium sibi adjunctum habeat, & quod in hòc ipsò proposito *duo* occurrant *actûs*, quos intendit honoripeta, *matrimonium* scil. & *spes consequendi dignitates*, extra quam sæpius cum aliâ personâ contraheret, nisi promotionis desiderium hoc agere juberet, *vid. Ziegl. in Dicast. concl. 8. §. 5.*

§. 3. Dividitur hæc *promotio* in *arbitrariam* & *injunctam*, sive *præceptam*. Prior est, quando spontè quis & pro lubitu cum personâ aliquâ nuptias propterea contrahit, ut ad dignitates & officia evehatur; Posterior, quando vel moribus vel præcepto Superioris, per modum conditionis imponitur, ut non aliter ad dignitates & munus quis adspirare possit, quàm si hanc vel illam fœminam duxerit. *Vid. Cap. ant. §. 11. seqq.* Utraque (2.) vel est *licita*, ubi fines matrimonii proprii primariò intenduntur, vel *illicita* & *reprobata*, quæ illis neglectis peregrinum hunc, ut quis eò citius ad officia promoveatur, præfixum habet. Alia (3.) fit *ad officia civilia*, alia *ad militaria*, eaque tum eminentiora, tum inferiora, alia denique (4.) *ad officia secularia*, alia *ad officia Ecclesiastica*, quæ posterior tamen, juxta antea dicta, non nisi in terris Protestantium obtinet. Et cum passim in *Marchiâ*, *Pomeraniâ*, *Ducatu Megapolitano*, aliisque inferioris Saxonie locis consuetudo hæc, ut sub hac conditione eligatur *novus Parochus si defuncti viduam vel filiam in uxorem ducat, invaluerit*, eandem paulò accuratius examinare, operæ pretium duximus, cum vel ipsis Jctis testibus alterò oculo in jus scriptum, alterò in consuetudines intentum esse oporteat. Cum verò ad evolutionem hujus consuetudinis non modò discursus de Clericorum conjugis, eorumque honestate, sed & de secundis nuptiis, quam hæc consuetudo in matrimonio viduarum involvit, præprijis faciat & conducat; Idcirco utrumque suppositum ante omnia demonstrandum est.

§. 4. Et quod Clericorum quidem *matrimonia* concernit, ex sacrâ Scripturâ V. T. Patriarchas, Sacerdotes & Prophetas uxoratos fuisse, satis constat; Quoad N. T. verò ex *text. 1. Tim. 3. v. 2. & 1. Cor. 9. vers. 5.* haud interdicta fuisse Clericis & Ministris Ecclesiæ matrimonia, affatim patet; id quod ex Pontificiis quoque plures agnoscunt, ut in seq. monebimus. Interim sequioribus seculis receptum omninò fuit, ut Clericatus matrimonium impediret, non tantum *de Jure Can.* sed & *de Jur.*

*de Jure Civili.* Quamvis enim *de Jure Civili* conjugati, iique idonei, ad sacros ordines admittantur; siquidem Clericis conjugatis secundum constitutiones Imperatorias, tempore etiam Justiniani, ad officia Ecclesiastica ordinatis, eorumque; uxoribus & liberis præclara privilegia & immunitates tributa fuisse, apparet *ex l. 2. §. fin. C. de Episcop. & Cler. Nov. 123. cap. 12.* Bigami tamen, perinde ac inhonestarum mulierum mariti *per Nov. 6. cap. 5. Nov. 123. c. 12.* à sacris ordinibus, nec non cœlibes jam ordinati *per Nov. 5. cap. 8. & Nov. 123. c. 14.* à matrimoniis arcentur: quod posterius tamen in observantiam non transiisse, verisimilius quibusdam videtur, partim ob *Nov. Leon. 39.* partim, quod Sacerdotes Orientalis Ecclesiæ, in quâ Justinianus Imperator vixit, cœlibatum Sacerdotum & prohibitionem conjugii Pontificis Romani non receperint, sed nuptias cum honestis mulieribus licite contraxerint. Verùm licet hoc ultimum certum sit, ut apparet *ex c. 6. de Cler. conjug. c. 7. de pœn. & remiss. Concil. Lateran. IV. c. 14. Senonens. c. 8. in verbis: Neque voluit Ecclesias suas eâ severitate punire, ut contractis primùm matrimoniis uti non liceret.* Num tamen & cœlibes ordinati postea potuerint ad matrimonium transire, quàm maximè dubium est, ob *Concil. Ancyran. c. 9.* ubi Diaconis, tempore suæ ordinationis interrogatis, an vellent continenter vivere, si se ita vivere non posse protestati sint, permittitur uxores ducere, qui *can. omninò distinctionem suppeditat, atque ad mores & ritus Græcorum, ne prohibitioni Ecclesiæ Romanæ contrarietur, à Francisc. Long. à Cariolan in annot. ad d. Can. restringitur.*

§. 5. Sed, quicquid tandem de Jure Civ. obtineat, parum interest, Jus Canon. potius, quod alioquin in matrimonialibus sequimur, hîc præcipuè considerandum est. Illud verò quoad *priscos Canones Conciliorum & veteris Ecclesiæ instituta duas potissimùm complectitur quæstiones, quæ tamen communiter confundi solent; Prima est: An in veteri Ecclesiâ ordinatis & in sacris ordinibus constitutis matrimonium contrahere permissum fuerit? Altera verò, an conjugati ad sacerdotium fuerint promoti, ita ut post ordinationem etiam consuetudine uxorum potuerint uti.* Prior quæstio intricatior est, quam, ut brevitati inserviamus, aliis discutiendam relinquimus. Sanè *Can. Apostolorum, de quorum origine quidem non satis, benè tamen de antiquitate constat, can. 25. illis, qui ad Clerum proveci sunt, permittunt uxores accipere, sed lectoribus & cantoribus tantummodò. Concil. Neocæsar. c. 1. presbyterum, si uxorem duxerit, ab ordine deponi jubet, contra verò Concil. Ancyran. alleg. c. 9. Diaconos, qui in ordinatione protestati sunt, quòd*



extra illud vivere ne queant, postmodum, quod uxores duxerint, à ministeriò non repelli posse, tradit, unde multi deducunt, Diaconis & Subdiaconis non esse prohibitum, ut post susceptos sacros ordines nuptias contrahant, quod tamen negat *Franc. Long. à Cariol. in not. ad d. c. 9.* quapropter illum postmodum abrogatum censet, licet *Baron. ab eò alleg.* difficultatem aliter declaret. *Alteram Questionem* quod atinet, extra controversiam est, veteris Ecclesiæ temporibus & uxoratos ad sacros ordines admissos, & conjugii usum concessum ipsis fuisse, juxta *c. ult. dist. 26.* ubi vel ipsemet *Div. Ambros.* alias conjugio iniquior, statuit, unius uxoris virum sine crimine ad Sacerdotium promoveri posse, *junct. c. 2. dist. 27. c. 14. § seq. 15. dist. 28.* ubi anathema esse statuitur, Clericum propter conjugium ab officio arcere & remove, cui convenit *c. 13. dist. 31. § c. 34. caus. 12. qv. 2.* nec non decantata illa *Paphnutii* historia, quam etiam Decreto inseruit *Gratian. c. 12. dist. 31.* Quin imò in *Canon. Apost. 5.* non solum prohibetur, ne Episcopus, Presbyter, aut Diaconus uxore suã prætenu religionis abjiciat, alioquin segregandus à communione & excludendendus, sed & *can. 50.* expressè cavetur, quod Episcopus, Presbyter, Diaconus, aut quis alius de Sacerdotali consortio, qui prætenu religionis vel sacerdotii conjugium divinitus institutum abominatur, tanquam diffamator creationis divinæ corrigi, deponi, & ex Ecclesiã rejici debeat. *conf. c. 3. c. 4. § 5. c. 12. 14. § 16. dist. 30.* atque *cit. can. 9. Conc. Ancyr.* in cujus quidem interpretatione, juxta antea dicta, variè se torquent *Baron. § Franc. Long. à Cariol.* postque eos *Bin. ad d. c.* ex quibus locis omnibus oppido liquet, primis Ecclesiæ temporibus licitum fuisse Clericis, uxoribus, quas ante muneris susceptionem matrimonio sibi junxerant, in ipsò quoque sacerdotio cohabitare. *Conf. Duar. de sacr. Eccles. minist. lib. 4. c. 7. § 8.* ubi itidem fusius deducit, quod prisci Canones & vetus Ecclesia conjugatos à sacerdotio non submoverint.

§. 6. Sedenim verò, contra hanc primis Ecclesiæ temporibus Clericis permissam cohabitationem cum legitimis suis uxoribus, paulatim à nolevit consuetudo, ut conjugati ad sacros ordines promoti uxores quidem retinerent, ab usũ tamen illarum abstinerent. Quam Clericorum omnimodam continentiam in Occidente primus servandam curavit *Siricius, Pontifex, Epist. 1. c. 9.* Nam quod de *Lucio Pontifice à Gratiano* asseritur in *c. 19. dist. 81.* nudum commentum est, nec tale quid ullibi de *Lucio* legitur, nisi in *Clementis* Epistolis, quas tamen ipsas quoque confictas esse, vel mediocriter doctis manifestum est.

est. Præterea Concilium Arelatens. II. in cujus can. 2. relato à Gratian. in can. 6. dist. 25. consimilis prohibitio continetur, hujus ipsius Siricii, non verò aliis temporibus coactum fuisse, contra dissentitionem Caranz. demonstrat Franc. Long. à Cariol. ad. d. Concil. Arelat. in proem. atque Bin. in not. Idem postea, sed serius, & quidem renitentibus multis, in Ecclesiis Africanis receptum fuisse, ex Concil. Carthag. aliisque præcipuè Concil. Elibertin. sive Eliberitan. c. 33. Carthag. V. c. 3. Agathens. c. 9. quod ad Siricii auctoritatem & Papæ Innocentii ordinationem, de quâ vid. c. 2. dist. 82. provocat. Aurelianens. III. c. 1. aliisque multis liquet. Conf. Marc. Ant. de Dom. de Rep. Eccles. lib. 2. c. 10. §. 17. & seqq. atque Gonzalez. Tellez ad c. 1. de cler. conjug. n. 4. Denique de Jure Can. recentiori Clericis omnibus mulierum conversatio interdicta est, & regulariter quidem, præter alias pœnas, sub pœnâ invaliditatis matrimonii, eodemque etiam modo Clericis secularibus in superiori ordine constitutis. Vid. c. 2. c. 4. c. 5. 6. & c. ult. dist. 27. qv. 1. c. 1. de Cler. conjug. c. 1. c. 2. 3. & ult. de qui Cler. vel vov. c. 1. de vot. in 6. Concil. Trident. sess. 24. de Sacram. matrim. c. 9. In inferiori autem ordine constitutis sub pœnâ amissionis beneficii. c. 1. & 2. de Cler. conjug. Covarr. de Matrim. p. 2. c. 6. §. 3. n. 5. seq. Unde non solum verum, sed etiam catholicum dogma dicit Gonz. Tellez. ad c. 1. de Cler. conj. n. 3. Clericos in sacris ordinibus constitutos conjugia celebrare non posse, atque contra facientes, ut suspectos de hæresi, ab inquisitoribus hæreticæ pravitatis puniri posse; quam in rem, & ut prohibitionem istam confirmet, non solum varia Conciliorum loca, sed etiam multos consentientes allegat.

§. 7. Sed, ut hanc prohibitionem mores Ecclesiæ introduxerint, atque Canones recentiores approbaverint, tota tamen ex traditione humana & mero jure positivo dependet, à quò ex rationabili & justa causa Ecclesia recedere potest, quod cordatè fatetur Spalatenfium Præsul Marc. Anton. de Dom. de Rep. Eccl. lib. 2. c. 10. §. 73. cum tamen, inquit, præceptum hoc (de cœlibatu Clericorum) usus à solo jure pendeant humano, Ecclesiastico positivo, ut fatentur omnes, sequitur necessariò id lege contrariâ Ecclesiasticâ, sive totius Ecclesiæ universalis, sive etiam alicujus magnæ Ecclesiæ multarum provinciarum, integrive regni, & contrariâ etiam solâ desuetudine posse abrogari. Et tandem §. fin. in verb. Cum igitur neque cœlibatus suapte natura Nos omninò Deo adstringat, neque conjugium à Deo deprimat, sed sæpè conjunctionis cum Deo impedimenta removeat, quorsum tanta sollicitudo circa cœlibatum Clericorum? perinde ac si status cœlibum esset tutissimus, conjugalis



lis verò perditissimus, cum tamē hic reverà sit tutior illò. Laudetur calibatus, foveatur, procuretur. Sed neq; connubia interim Clericorum condemnentur. Neque ipse solùm, sed & varii apud Pontificios haud sublestæ fidei Scriptores idem ingenuè agnoscunt, interque eos Panormit. in c. licet. 6. §. de Elect. n. 4. atq; Gonz. Tellez. ad cit. c. 1. §. de Cler. conj. n. 3. ubi asserit, Jure divino sacris ordinibus calibatum minimè annexum fuisse, sed eundem juris tantummodo esse Ecclesiastici, quamvis perantiqui. Notum quoque est hâc de re Cardinalis Cajetani judicium, quod recenset Carpz. lib. 2. def. Eccles. 4. n. 20. Imò ipse Innocentius IV. Pontifex in Cap. placet. 12. §. de conv. conj. fatetur, etiam post consecrationem Sacerdotes posse contrahere matrimonium, nisi Ecclesiæ statuto prohibitam esset. Quæ omnia sufficienter innuunt, ab hac Juris Canon. prohibitione non sine gravi causa Ecclesiam nostram recessisse, quod passim quoque demonstrant non solùm Theologi, sed & Jcti. vid. Gerhard. in loc. de Minist. Eccl. §. 330. Arniseus de Jur. Connub. c. 1. sect. 7. per tot. atq; Carpz. lib. 2. cit. def. Eccl. 4. per tot.

§. 8. Quod alterum suppositum secundarum nuptiarum scil. attinet, illud iterum duplici ex causa maximè controversum est, tum propter nuptias iteratas per se, tum in specie quoad Clericorum personas. Et secundas quidem nuptias moribus & LLbus antiquis valde invisas, proindeque variis subjectas fuisse incommodis, testes sunt, Cujac. ad tit. ff. §. C. de sec. nupt. Gabr. l. 3. concl. tit. de rit. nupt. concl. 3. Gail. Mynsing. aliique plures alleg. à Mejer. in Coll. Arg. de rit. nupt. th. 20. Id quod non Ethnicorum solùm, sed & sanctissimorum in Vet. Ecclesiâ Patrum effata, tandemq; variæ Imperatorum, etiam Christianorum, de secundis nuptiis comprobant constitutiones. vid. tot. tit. C. de sec. nupt. Hinc non solum festinatae suspectæ redduntur inhonestæ & malignæ conversationis cū secundo marito, vivente adhuc primò, per Nov. 39. c. 2. v. si enim illas. Mulier contra intactam pudicitiam servare dicitur, si ad secunda non transeat vota, in l. ult. C. quand. mul. tut. offic. Sed & in favorem liberorum prioris matrimonii aliis subjiciuntur pœnis, de quibus vid. l. 5. §. l. 6. C. de sec. nupt. nec non Nov. 27. c. 23. §. 46. Suâ proindè haud destituitur ratione odium illud, quod adversus digamos conceptum hinc inde reperimus, non quidem, quod de Jure Divino sint damnatae secundæ nuptiæ, nec quod anima defuncti contristetur, si conjux, priori non contenta, secundum repetat virum, Nov. 22. c. 43. Sed propter adjunctam præfestinationem, & præjudicium liberorum prioris matrimonii, ut tradit Mæstert. de sec. nupt.



nupt. qu. 6. Vid. plures rationes apud *Dn. Petr. Müller. Doctorem haud ita pridem, ac Hospitem meum etatem venerandum, in Dissert. de Frigusc. cap. 3. th. 15.* Quod si jam secundæ nuptiæ per se tam odiosæ sunt, multo magis in Clericis reprobandæ erunt. Unde pœnam istarum antiquissimam hanc videmus, quod hujusmodi digamos ab omni honore & dignitate Ecclesiasticâ planè exclusos voluerit Ecclesia, secuta hâc in re expressum Apostoli mandatum, *1. ad Tim. 3. v. 2. oportet, inquentis, Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum.* Cui & hæc adjuncta fuit, quod secundis nuptiis benedictio sacerdotalis denegata, tandemq; Clericis interdictum fuerit, hujusmodi nuptiarum convivii interesse, ut alias taceamus pœnas, de quibus passim ex *Concil. patet.* Rationem autem, quare, qui iteratas nuptias contraxit, à sacerdotiô & beneficiô Ecclesiasticô planè remotus fuerit, reddit *Dua- ren. de sacr. Eccl. Minist. lib. 4. c. 7.* hanc, quod secundæ nuptiæ immodicæ incontinentiæ sint argumentum, de quibus veteres Patres non adeò honestè senserint. Sed de veritate hujus asserti ex sequentibus constabit.

§. 9. Verumenimverò sicuti vinculum matrimoniale duobus modis solvitur, morte sc. conjugis, & legitimo divortio, ita quoque duæ hujus digamiæ, seu nuptiarum secundarum, emergunt species. Una est, quâ quis post mortem conjugis novas nuptias contrahit, altera vero, quando, divortio secundam LL. factô, ita separati in novi mariti uxorisve amplexus transeunt. Diversas hujus bigamiæ species cum non satis accuratè à se distinxerint eruditi Viri, illi cum primis, qui in mediæ ætatis Ecclesiâ vixerunt, non unam præbuerunt difficultatem quoad conciliandos diversissimos *Conciliorum canones*, aliaque Scriptorum Ecclesiasticorum loca, hâcque ipsâ confusione præbuerunt occasionem insigni errori in Ecclesiâ Romana pariter ac Orientali, ob quam adhuc hodiè secundæ nuptiæ, utut malè, improbantur. Quòd igitur primam digamiæ speciem & nuptias post mortem conjugis contractas concernit, tot, tamque expressa Juris divini æquè ac positivi, secundas nuptias omninò permittentia occurrunt loca, ut facilimo negotio refutent eorum sententiâ, qui penitus ab illis abstinendum esse, sentiunt. Ex sacrô Codice si quædam huc transferre velimus, primo intuitu sese offert Pater ille credentium *Abraham*, qui post obitum prioris conjugis, *Saræ* nimirum, aliam, *Kethuram* scil. in matrimonium duxit. *Gen. 25. v. 1.* Aliud exemplum est in *Abigaele*, quæ mortuo *Nabal, Davidi*, viro secundum cor Dei, nupsit *1. Sam. 25. v. 42.*

de aliis pluribus vid. *Esth.* 2. v. 16. *Ruth.* 4. v. 10. *seqq.* quæ omnia arguunt, matrimonia iterata nusquam improbata fuisse, aut Deo displicuisse. Ex *N. T.* vel unicum illud Apostoli dictum *1. Cor.* 7. v. 39. nobis instar omnium sit, ubi uxor, marito mortuo, lege, quâ vivo obligabatur, soluta, & nubere cui velit, integrum habere dicitur. *1. Tim.* 5. v. 12. idem jubet, viduas juniores nubere, liberos gignere, domum administrare &c. ne adversariis maledicendi occasionem præbeant. Ad stipulantur Juri Divino canones Pontificum, qui, Juris Civilis rigorem, durasque veterum traditiones corrigentes, non solum nuptias secundas, sed & ulteriores, imò octavas permittunt *in c. aperiant. 11. cum seq. caus. 31. q. 1. c. pen. Sult. & de sec. nupt.* Et certè secundas nuptias, quin insimul non improbentur primæ, vix quisquam rejicere poterit, dum actus ille iteratus non minus, quàm primus, imò quandoque magis ad conservandos honestatis ac castitatis terminos conducit. Quandoquidem enim ad hoc natura progenuit mulieres, ut partus ederent, maximaque eorum in hoc constituta sit cupiditas, *l. 2. C. de indict. vid.* reiteratorum profectò matrimoniorum prohibitionem fenestra insignis aperiretur ad peccata. Hinc cum urere illud, de quò Paulus *1. Cor.* 7. v. 9. viduis nò minus, quàm fœminis liberis contingere queat, eademq; quæ in primis nuptiis, pro ulterioribus quoque militet ratio, proinde per allegata S. Scripturæ loca & præcepta secundæ æquè ac primæ nuptiæ non solum laicis, sed & clericis, eorumque viduis erunt permixtæ. *Conf. c. 8. Concil. Neocas.* Ulteriorem clarioremque hujus materiæ tractationem inveniet B. L. apud *Joh. Gerhard. in loc. de conjug. §. 178.* itemque laudat, *Dn. Petrum Müller. in Disput. de Odiò secund. nupt.*

§. 10. Quod alteram verò attinet bigamiæ speciem, alia planè, & diversa reprobationis & prohibitionis sese offert ratio, quod nimirum vetus Ecclesia maximoperè detestata fuerit frequentia secundum LL. divortia, multòque magis reprobaverit repetita, vivente priori conjuge, conjugia. Etenim cum divortia LLbus Rom. non solum licita, & libera, sed & temporibus quoq; Theodosii, & Valentiniani III. per ipsorum *Nov.* probata essent, quæ jura usque ad tempora Justiniani obtinuerunt, per ea, quæ habet *Dn. Præses in Dissert. de Usu Divort. sect. 3. memb. 2. & seqq. usque ad memb. 6.* in id saltem incubuerunt Patres Ecclesiæ, ut coërcerent aliquatenus effrenam hanc Christianorum licentiam. Hinc variæ passim *in Concil. canonibus,* præcipuè verò in antecedenti §. 8. enarratæ prodierunt, & in Patrum scriptis

scriptis propositæ sunt pœnæ, ac censuræ Ecclesiasticæ, in odium secundarum nuptiarum, post repudium contractarum, excogitatæ; quas tamen non nisi illis vetus Ecclesia imposuit, qui, vivente conjugere repudiatâ, nova matrimonia contra Ecclesiæ sententiam iniierunt, sicq; immodicæ incontinentiæ specimen insigne ediderunt, secuta in eo expressum mandatum Apostoli *I. Tim. 3. v. 2. quem textum communiter quidem de polygamiâ simultaneâ cum Hieronym. & Chrysostom. intelligunt Theologi nostri*; alii tamen menti Pauli convenientissimum, verissimamque hujus loci interpretationem esse dicunt, quod per verba: *Unius uxoris virum*, non illos ab honore Episcopali arceat Apostolus, qui plures simul uxores in domo habent, quippe quod ne inter Laicos toleratum quidem fuisse constat, sed eos, qui ita secundum LL. humanas repudiatas uxores, iisque adhuc viventibus, alias illicitè ducunt. *Vid. Chemnit. in exam. Concil. Trid. sess. 24. de matrim. c. 7. p. 435 atq; cum Henr. Müller. in Dissert. de non ordin. bigam. Dn. Hochmann Dissert. de bened. nupt. c. 4. §. 19. seqq.* Verùm has pœnas speciales postmodum recentior Ecclesia, ob male intellectos Canones, generales esse voluit, atque, contra mentem antiquioris Ecclesiæ, indistinctè omnibus, qui post mortem prioris conjugis ad secunda vota licitè transierunt, imposuit, sicque eos non nisi per insignem errorem hæcenus à functionibus Ecclesiasticis exclusit.

§. II. Discussis igitur præjudicialibus, ut ita loquamur, quæstionibus, satisq; probatò eò, quod Clericis æquè ac secularibus viris, eorundemque viduis, prima non modò, sed & ulteriora vota concessa sint, progrediendum nunc ulterius, & demonstrandum: *Consuetudinem illam in Marchiâ, Pomeraniâ, aliisque inferioris Saxonie locis receptam*, ut rationabilem, suâque nitentem æquitate, omnio posse tolerari. Ad quod probandum non solum huc repeti possunt rationes in anteced. Cap. propositæ, sed & ulterius facit, quod talis consuetudo legitimæ non contrarietur vocationi. Legitimæ namque vocationis requisita in eò potissimum consistunt, ut constituendus novus Pastor ad functionem illam satis habilis sit, Patrono, Ecclesiæ, & toti cœtui placeat, & consensu suffragiisque eorundem eligatur, quæ si (quod quidem utrumque itidem h. l. præsupponimus) omnia sint certa, nihil amplius, quod scrupulum novo Pastori movere possit, superest. Accidens enim saltè vocationis est conjugium illud cum relicta viduâ & filiâ, quod eam minimè vitare, aut illegitimam reddere potest, quippe quæ nihilominus manet divina, non quidem propter personam, quam vocatus ducit, sed propter unanimes con-

E

sen-



sensum, & liberrima suffragia Patroni, totiusq; Ecclesiæ. *Ludov. Dunte*  
*Cas. consc. cap. 18. sect. 2. qv. 11.* Et cum in nostro Ecclesiæ statu sæpius  
 vix aliter consili possit viduis ac filiabus defuncti Pastoris, ut plu-  
 rimum, proh dolor! pauperculis, tantò minus improbanda est con-  
 suetudo, quæ, cum vacantibus Parochiis, unà viduis ac filiabus de-  
 mortui Pastoris prospicit; cum præsertim & ipsa æquitatis ratio  
 quàm maximè postulare & injungere videatur, ut liberis viduæque  
 defuncti, bene de Ecclesiâ meriti, optimè prospiciatur, & contrà nihil  
 iniquius contingere possit Ecclesiarum fidelibus Pastoribus, quàm si  
 post obitum eorum liberi & uxores deserantur, aut penitus ejiciantur.  
 §. 12. Illos equidem mores, quibus, ad exemplum ordinis mili-  
 taris, (cujus vigore militis mortui uxori, liberisque beneficium sti-  
 pendiarium, casus militiæ appellatum, in solatium militiæ per casum  
 mortis amissæ sive caducæ, ex privilegio & beneficio Imperatoris  
 deferebatur, *Nov. 35. §. 53. c. 5. §. N. 97. c. 3. l. si quis. 11. C. de prox. sacr. scrip.*  
*l. 10. l. ult. C. de pign. l. omnimodò. 30. §. ult. C. de inoffic. test. vid. cum alleg.*  
*Lauterbach. in tract. synopt. de tac. pign. th. 66.*) tam liberaliter pro-  
 spectum est Pastorum viduis ac liberis, ut necessaria alimenta,  
 post obitum mariti vel parentis, ex liberalitate Principis ad dies vitæ  
 accipiant, summam mereri laudem, nullum est dubium, quâ in re  
 potissimum eminent in Electoratu Saxonico, aliisque superioris Sa-  
 xoniæ locis vigentes Ordinationes. At cum Principum liberalitas &  
 beneficentia in Ecclesias, earumque Ministros nequaquam circum-  
 scripta sit certâ mensurâ, certisque limitibus, quin & status Eccle-  
 siæ aut Principis non semper hoc vel illud admittat, utique dispici-  
 endum est, ut prospiciatur viduis ac liberis aliò honestò, legitimòq;  
 modò, quod per hanc consuetudinem, *ut prædecessorum Pastorum*  
*viduæ aut filie in Parochiis maneant, & à Successoribus in uxores ducan-*  
*tur,* quàm maximè intenditur. Non autem æquitas tantum, prout  
 jam dictum, suadet & postulat, ut viduæ & liberorum prædefuncti  
 Pastoris habeatur ratio, & erga bene meritum Pastorem debi-  
 ta hoc modo gratitudo exerceatur; sed Naturæ quoque lex ad faci-  
 endum illud instigat, quæ est, ut quod quisque velit sibi fieri, alteri  
 faciat, cui apprimè convenit dictum illud Salvatoris *Matth. 7. v. 12.*  
*Omnia quæcunque volueritis, ut faciant vobis homines, ea & vos quoque*  
*facite ipsis. Conf. tot. tit. ff. quod quisque jur. in alt. stat.* Sanè, quin unus-  
 quisque suis post mortem optimè prospectum velit, nullum est dubi-  
 um; & cum relictis viduis aut filiabus Parochi defuncti sæpius  
 haud

haud aliter consuli possit, quàm si per novas nuptias in parochialibus retineantur ædibus, tantum abest, ut Pastor novus in ducendâ uxore viduâ, filiâve relictâ difficilem se præbere, ut potius, illô Juris Naturæ præceptô incitatus, deque divinâ hanc ob causam benedictione certò persuasus, vocationem talem, tanquam legitimam ac divinam, accipere, gratòque agnoscere pectore teneatur.

§. 13. Neque est, cur facere hoc recuset? cùm in his ipsis personis eam non rarò offendat conjugem, quæ & rei familiari gerendæ, & marito mutuum adjutorium præstando, aliis est aptior, quod non postremum ad ineunda talia conjugia est incitamentum. Clericorum enim uxores & filix præsumuntur pulchritudine morum, & venustate civili benè conformatæ, & aptæ idoneæque ad œconomiam præ aliis, præsertim secularibus, quod indicat Paulus 1. Tim. 3. v. 4. 5. *Et ad Tit. 1. v. 6. 7.* ubi Episcopis Ecclesiæ non minus, quàm privatæ œconomix curam demandat, scribens: *Eum fidelem esse Episcopum, qui suæ domui benè præsit; quod si domui propriæ præesse non noverit, quomodo Ecclesiam Dei curabit?* §. v. 11. *Uxores similiter habeant modestas, non calumniosas, denique sint mariti, qui liberis benè præsent, & familiæ &c.* Accedit denique & hoc, quod quamvis hæc ipsa in favorem uxoris potius vergant, ac introducta sint, nihilo tamen secius non exigua utilitas, commoditasque in maritum quoque redundet. Cùm enim Parochiis annexa non rarò soleant esse prædia rustica, in quibus omnes ferè Pastorum consistunt redditus, & verò viduæ ac filix in pago quodam vel diutius, vel ab infantiâ educatæ, comoditates agrorum melius cognitas habeant, ac perspectas, quàm uxor extranea, itemque pastor novus instrumenta, supellectilem, aliaque ad fundum necessaria, prius coëmere non necesse habeat, sed in fundo parochiali, quem antecessor possedit atque excoluit, reperiat; sanè magnis sumtibus, quibus ad coëmenda illa omnia erat opus, poterit supersedere, & nihilominus agros parochiales auctiores, cultioresque reddere, quod postremum nequaquam fieret, si successionis spes in Parochiis liberis & uxoribus omnis præscinderetur.

§. 14. Tolerandus ergò hic mos est, modò, quod declarationis gratia addendum, hisce constringatur requisitis, ut (1) *Vocatus ad Ministerium sit habilis & idoneus.* (2.) *In eum tota consentiat Ecclesia,* ne alioquin liberò suò privetur suffragiò. (3.) *Viduæ vel filix defuncti antecessoris liber relinquantur consensus,* an nuptias novi Pastoris appetere velint, nec ne; atq; etiam (4.) *Successor suò consensu liberò matrimonium*



*hoc approbet.* (5.) Persona, quæ jungitur matrimonio, sit *ad illud apta.*  
 (6.) Ut caveatur, ne hoc modo *officia Ecclesiastica fiant hereditaria.*  
 Tandemque (7.) ne *ad alias personas extendatur*, v. g. si quis ita eligatur, ut Patroni filiam, vel ancillam, netricem, lotricemve ducat. Nam mos iste ob favorem viduarum & filiarum Pastorum benemeritorum toleratur, ut adeò ad alias personas extendi nequeat. Unde, si quis hâc in re abutatur jure Patronatus, hoc impune ferre non debet. Vid. de his restrictionibus *Carpz. lib. 1. def. Eccles. 42. n. 5. seqq. atque Brunnem. lib. 1. Jur. Eccles. c. 5. §. 16.* Quibus ita observatis matrimoniū nequaquam coactum est, aut conditio vocationis substantiam intrat, sed saltim vocationis legitimæ accidens est, & quidem omni jure licitum. Si qui ergò sunt, qui consuetudinem hanc improbant, ab usum ab usu accuratius separare debent, teste *Finckelthuf. de jur. Patron. c. 6. n. 38. in f. Comprobant quoque hæc omnia suis calculis cit. Lud. Dunte Cas. consc. c. 18. sect. 2. qv. 11. Paul. Tarnov. ap. Dedecken. vol. 1. part. 3. memb. 3. sect. 1. num. 9. Wittenberg. Theol. apud eund. Dedecken. cit. loc. num. 10. Gerhard. in loc. de Minister. Eccl. §. 117. Fridem. Balduin. Cas. consc. lib. 4. c. 5. cas. 9. Theodor. Reinking. de R. S. & E. lib. 3. cl. 1. c. 6. n. 26. Speckhan. cent. 3. cl. 1. q. 5. Matth. Steph. de Jurid. lib. 3. p. 1. c. 19. Carpz. lib. 1. def. Eccl. 42. Brunem. cit. lib. 1. Jur. Eccles. c. 5. §. 16.* Ex quibus omnibus facili colligi potest negotio, quod non solum in *primariis*, sed vel maxime, & tantò magis etiam in *secundariis Ecclesie ministris, Ludimoderatoribus, Cantoribus, Organicis, Custodibus*, aliisque hæc consuetudo admitti possit.

§. 15. Atque hæc occasione *Divisionis*. Pergimus nunc ad reliqua. *Causa efficiens* hujus promotionis est Princeps, aliusq; Superior, qui munera & officia publica distribuendi potestatem habet, atque vel per mores, vel per conniventiam permittit, ut per Ministri cujusdam Aulici, aut alterius Officialis intercessionem, blanditias, aliasque ob causas, ille ipse, qui hujus filiam, sororem, neptem, cognatamve matrimonio sibi jungit, ad officium promoveatur. *Subiectum activum* est omnis is, qui ambit officium, & quidem quoad hanc Promotionem in genere, sive sit idoneus, nec ne; quoad licitam verò, habilis solummodo ad officia, ad quæ adspirat. *Subiectum passivum* est foemina, itidem qualis illa sit, nihil interest, si absolute hanc promotionem inspiciamus; si verò ipsius honestatem, necessarium est, ut sit apta ad conjugium, & talis quidem, cum qua promovendus primariò fines matrimonii genuinos intendat. *Objectum* constituunt officia, quæ affectantur  
 circa

circa quæ parum interest, an civilia, an militaria, an secularia, an Ecclesiastica sint. Sumitur namq; officiorum verbum, prout in cap. 1. §. 4. seqq. demonstravimus, hîc in latiori significato, ut designet quævis munera personalia, & officia, sive sint honorata, formaliter cû titulo & dignitatis gradu conjuncta, sive inhonorata, quæ dignitatis & honoris gradu carent. l. 14. pr. ff. de mun. & hon. sive præstantiora, sive viliora, de quibus vid. l. 18. §. 2. & subseqq. ff. eod. Munera autem realia, & patrimonialia, cum mixtis, ab hîc nostro discursu merito separamus cum non tam ambiantur, quam publicâ potius autoritate, per l. 1. §. 3. l. 6. §. 4. l. 18. §. 8. 26. 27. ff. de mun. & hon. l. 2. C. de mun. patrim. atque hodie, vi Superioritatis territorialis, subditis imponantur. Vid. Rec. Imp. de anno 1512. §. Damit die Mâssigung / 13. & Klock. de contrib. c. 4.

§. 16. Forma hujus promotionis, in genere considerata, consistit in nuptiis legitimis ac non prohibitis, sive sint primæ, sive secundæ, sive consecutionem officiorum præcedant, sive sequantur. In hîc enim essentia hujus promotionis consistit, ut per matrimonium peragatur, quod licitum & justum est, ad quod, non quidem simulatum, quippe quod nullum est, per l. 30. ff. de rit nupt. sed putativum quoque non in congruè referre possumus, ob l. 57. §. 1. ff. eod. Bona namque fides & error palam in facie Ecclesiæ matrimonium contrahentium efficit, ut pro valido habeatur. In specie verò, quoad licitam promotionem, pro formâ non solum connubium legitimum, sed alia plura requiruntur, ut puta *habilitas* promovendi ad officium, *liber utriusque contrahentis consensus*, non solum ratione matrimonii, sed etiam quoad desiderium vacantis officii; *ut promovendus nondum sit uxoratus*, aliisque adstrictus votis, aut cæteroquin *ad matrimonium parum aptus*, aliæve cautiones, quas declarationis gratia in anteced. §. 14. præmisimus. *Effectus hujus promotionis iterum & in genere & in specie* considerari potest. In genere equidem respectu promovendi, ut hoc modo officiis admoveatur, & sibi suisque congruam alimentationem & sustentationem acquirat; respectu verò Patroni, ut ipsius filia, soror, neptis, cognata, aliaque persona, quam propterea matrimonio promovendo jungit, honestam nubendi conditionem & elocationem nanciscatur. In specie verò quoad promotionem licitam, quod legitimæ non contrarietur vocationi, adeoque efficiat, ut, qui sub hâc conditione promotionem acquirit, nuptias perinde ac aliam conditionem potestativam, honestamque adimplere teneatur, per l. 44. ff. de condit. & demonstr. nisi factô adversarii impediatur, per l. 161. de R. J. l. 23. de



*cond. inst. l. 50. de contrah. emt. vend.* Quoad illegitimam verò, quod hoc modo ambiens officia quandoque levius, quandoque gravius peccet, unde porro fluit, quod ad implendum tale conjugium sæpius non obstringatur, pariterque ad officium, quod ambit, vel planè non admittatur, vel, si jam admissus fuerit, per remotionem iterum repellatur. Nullò siquidem modò Superior, qui officium contulit, per hanc promotionem adstringitur; cum & alioquin officialem, libero arbitrio constitutum, etiam sine causa dimittere possit, de quo in *Cap. seq.*

## C A P. IV. & Ultimum

De

### Impetrationis Officiorum, sive Promotionis per matrimonium Contrariis & Affinibus.

#### SUMMARI.

§. 1. Contraria Promotionis per matrimonium ex hætenus traditis quasi in compendio sistuntur. §. 2. Occasione ultimi agitur de remotione officialium. §. 3. ad Affinia promotionis nostræ non immeritò referuntur (1) Statuta & mores opificum, ut non recipiatur in collegium eorum, nisi qui duxerit filiam aut viduam opificis, ubi, & in §. 4. per distinctionem explicatur, quid de iis sentiendum. §. 5. (2) Dignitatis per matrimonium conservatio, itemque (3) Cognatorum, sæpius ineptissimorum, ad officia & honores exequio.

§. I. **C**ontraria quidem, quæ vel nostram Promotionem impediunt, vel inhonestam ac illicitam efficiunt, ex hætenus dictis passim constant. Ut tamen in compendio quasi sistantur, vel hoc solù, ad finem properando, indicabimus, quòd varia, eaq; sequentia sint. (1.) Quando promotio intenditur, tanquàm finis matrimonii primarius, sepositis finibus iis, quos principaliter intendere Autor conjugii, ipse Deus præcepit, qui actus omninò est illicitus. *vid. Cap 2.* (2) Quando quis inhabilis est ad munus, ad quòd adspirat, de quo *in anteced.* passim. Quemadmodum enim matrimonium accidens saltem est promotionis ad dignitates, ita in conferendis iis omnia debent attendi requisita, quæ aliàs extra matrimonium quoque necessaria sunt, quæ inter potissimum locum obtinet habilitas, sive idoneitas, ne sc. Reip. aut Ecclesiæ præfiantur, aut ob-

tru-



trudantur propter ta'ia connubia homines indigni, & ex quibus, propter ignorantiam eorum, certissimum imminet damnum potius, quam emolumentum. (3.) Contrariatur nostræ promotioni vis & coactio, per l. 116. de R. I. Ultriusque enim contrahentis, non solum in ineundo conjugio, sed & promovendi in subeundo munere, consensus adesse debet liber, (quandoquidem juxta l. 69. de R. I. invito beneficium non datur) (4.) Illam impedit, si fœmina vel vidua, quæ pro consequenda successione demortui antecessoris in officio, ducenda est, sit provectoris ætatis, & non amplius ad matrimonium apta. Quapropter & consuetudo hoc intendens, etsi cæteris paribus laudabilis sit, & honesta, his accedentibus circumstantiis maximè redditur iniqua. (5.) Si contingat illa promotio, absque suffragiis illorum, quorum consensus necessarius est, v. g. Ecclesiæ, &c. (6.) Si nimium extendatur, etiam ad illas fœminas, quarum gratia consuetudo introducta non est, §. 14. Cap. 3. (7.) Si intendatur, ut h. m. officia fiant hereditaria, vel reliqua hujus promotionis non observentur requisita, de quibus in anteced.

§. 2 Denique ultimò, si ob officia contrahentes matrimonium ad illa deinceps vel non admittantur, vel admissi removeantur. Quamvis enim plures non ignoti nominis Jcti statuunt, Superiori regulariter non licere officia, etiam ad beneplacitum concessa, pro lubitu revocare, ceu liquet extraditis. Boer. dec. 149. n. 11. qui n. 19. officia regia in regno Franciæ ad eò perpetua esse tradit, ut pro matrimonio in vitâ officiariorum habeantur, Menoch. lib. 1. de A. I. Q. q. 55. n. 11. §. q. 69. nec non cons. 1033. n. 24. Thom. Merckelb. ap. Klock. §. 1. cons. 32. n. 13. pluresque statuunt, officia non posse vacare, nisi morte, renunciatione, aut delicto, arg. c. 16. de R. J. in 6. His tamen non obstantibus verius est, quod, etiam nullâ adjectâ causâ, adeòque ex nudâ contrariâ voluntate, officiales suos & ministros, salvâ ipsorum existimatione, simpliciter removeare possit Superior, qui eos constituit, licet hoc ex delicto, aliâque infamante causa facere nequeat. Vid. Græne & de LL. abr. ad l. 3. C. quor. appell. non recip. n. 1. 2. Sande dec. Fris. l. f. tit. ult. def. ult. Myler. ab Ehrenbach in Hyparchol. c. 4 n. 6. Sicuti enim resignatio est liberi arbitrii à parte officialis, modò, si res non amplius sit integra, indemnitate ratio habeatur; Ita quoq; in constituyente idem suadet inter alia natura mandati, in constitutione officiorum plerumque intervenientis, quod pro lubitu uterq; contrahentium revocare potest. Vid. l. 12. §. 16. ff. mandat. atq; Mant. de tac. §. ambig. consent. lib. 7. tit. 21. n. 4.

§. 3. Posteaquam jam thema nostrum pro viribus, ut opinamur, explicavimus, nihil amplius superesse videtur, quam ut de Affinibus paucis quoque solliciti simus, ad quæ inter alia (1) pertinent Statuta & mores, ut non recipiatur in collegium opificum, nisi qui duxerit viduam aut filiam opificis. Nam ut sub eo, qui antiquitus fuit, civitatum Hanseaticarum flore, veteres magis magisque in id propensi fuerunt, ne illarum lucra quibusvis petentibus concederent, aut promiscuè omnibus mercimonii opificiorumq; licentiam permitterent, varia receperunt statuta & mores, quibus collegii jura petendi facultas fuit coarctata, ipsius verò commoda ad incolas ita derivata, ut alios excluderent; inter ea reperitur mos, ut non recipiantur in collegium opificum, nisi qui duxerint viduam vel filiam opificis, quam consuetudinem ita passim in Germaniâ invaluisse videmus, ut multis in locis adhuc ejusdem vestigia inveniamus. Non iniquè ergò affinium loco disquiritur: An ejusmodi statuta & mores, das Einstreuen in das Handwerk und Meisterrecht præcipientes, valeant nec ne? Mev. p. 3. dec. 38 benè per ductum rationis discernendum esse dicit: An Magistratûs statuto vel privilegio, an saltem collegii arbitrio & consuetudine hoc præceptum observetur. Ex statuto vel privilegio si servetur, meritò usus ejus defenditur; Veruntamen ut rationalis maneat, nec opifices hâc observantiâ ad impia & improba abutantur, quod fieret, si (1.) per hoc statutum recipiendum adigere velint, ut ducat pere-

sonam

sonam, quæ justè recusatur, quod ætate, morbo, deformitate, aliisq; ad honestum vel concors matrimonium habilis non sit. (2.) si, cum plures adessent, quæ duci possent, electionem auferre, & nuptias ad certam personam restringere, itemque (3.) insignem artificem, sed jam uxoratum, aut ad matrimonium parum aptum, prætextu hujus privilegii arcere velint.

§. 4. Non ergò est Superiori aut Magistratui adempta potestas, illos mores, prætextu statuti aut privilegii invalescentes, ad sanum sensum, & dextrum usum redigere, ne hoc modò à collegiis aut opificiis removeantur, qui ex justâ causâ excludi nequeunt; quæ declaratio quàm maximè per clausulam adjici solitam, quâ emendatio, augmentum & imminutio reservatur, retenta censetur, cum Magistratus esse debeat rotulorum & statutorum interpres, per *l. fin. C. de LL.* ne statuta & mores contra rationem recipiantur, *l. 2. C. quæ sit long. consv.* ibiq; *Bald.* Quæ causa quoque est, quod, si non auctoritate Magistratus, sed libero solum Collegii arbitrio aut consuetudine, hæc observantia invaluerit, minus virium adversus Superiorum & Magistratum judicia & decreta obtinere possit. Et si enim collegiorum sit quædam jurisdictio, atq; statuendi licentia in iis, quæ ad artem aut professionem pertinent, quæque usurpari possunt sine Magistratûs venia; Attamen ejusmodi placita non obligant alios, quàm collegiatos, seu in collegium receptos, qui, se associando collegio, ea approbant. Nec ultra quoque valent, quàm in iis, quæ ad promovenda mercimonia atque opificia expediunt, quorum favore atque usus gratia hæc licentia permittitur, non tamen per illa Magistratui aut Jurisdictioni publicæ obex poni potest. Quamvis igitur certo respectu improbandum haud sit statutum illud, ne aliam quàm ex opificii collegis quis ducat uxorem, idq; passim frequens existat; Invito tamen Magistratu in aliis, quàm in quibus confirmatum est, obtinere, aut efficere nequit, ut sub hoc prætextu artifex, alioquin non improbandus, excludatur. Potiores igitur erunt partes Magistratus & Superioris, liberum usum artium & opificiorum asserentis, hæc præcipuè ætate, postquam causa hujus observantia mutata est. *Vid. Mev. cit. def. 38 n. 6. seqq. ibiq; alleg.*

§. 5. Porro (2) ad *Affinia* pertinet, quando quis dignitatem, in quâ jam constitutus est, per matrimonium retinere studet, si, v. g. abdicationem aut exauctoritatem metuens, hoc agit, ut per matrimonium amicos atque suffragatores apud Principem acquirat. Denique (3) *Affine* quoddam hujus nostræ promotionis per nuptias est illud, quando personæ, quæ sanguine, cognatione, affinitate Magnatem aliquem, sive eum, qui ad elavum Reip. sedet, attingunt, intuitu hujus, ad dignitates & officia evehuntur. Cumque hoc in casu rarissimè habitas aut dignitas personæ promovendæ inspiciatur, sed ex sola cognatione judicetur, adeòq; excludantur, qui potiori jure & majori merito promoveri debuissent, proinde detestandus potius, quàm approbandus ille potestatis abusus, & perpetua ferè hæc seculorû nostrorû labes est, in quam Scriptores passim durioribus invehuntur verbis. Hinc quæ ap. *Tacit. loc. supr. in præm. cit. nim. lib. 1. Annal. c. 7.* de Tiberio habentur, quod mortuo vitrico, ac patre suo adoptivo, Augusto, maluerit per *Resp. Sota*, quàm per uxorum ambitum Imperatorii nominis potiri, in non postremam ipsius laudem vergunt. Contrà in maximum Pontificum Romanorum vituperium cedit, quod, conquerente *Alvar. Pelag.* Nepotulos, aliosque consanguineos clericos, nedum ad Prælaturas promoveant ditissimas & altissimas, sed etiam ad statum Cardinalatus, inscios sæpè & indignos, committantque eis judicare totum mundum, qui regere nesciunt semetipsos. Quapropter *Baptist. Plain. in Vit. Joh. XVI.* postquam divina humanaq; omnia cognatis & affinibus suis eum elargitum fuisse, retulit, sequentia subjicit: *Quem certè errorem ita posteris tradidit, ut ad nostram quoque arasem pervenerit. Quâ quidem consuetudine nihil certè dici perniciosius potest, cum non ob religionem & Dei cultum appetere Pontificatum nostri Sacerdotes videantur, sed ut fratrum, vel nepotum, vel familiarium ingluviem & avaritiam expleant.*

Hiscè, gratiis Deo peractis, sit

F I N I S.







AHdorf, Diss., 1687-89

X 242 1873

WMA





15

I. N. J.

De

1688 50 24.

# IMPETRATIONE OFFICIORUM

PER

## MATRIMONIUM,

Vulgò:

### PROMOTIONE PER MATRIMONIUM, Moderante

## DN. HENRICO Lindten /

JCro, Serenifs. Duc. Palat. Solisbac.

nec non Inclyt. Reip. Noric. Consiliar.

ac Universitatis Altdorfinæ Pandect.

Prof. Publ.

*PATRONO ac HOSPITE suo multum suspiciendo,*

d. 26. Septembr.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ MDCLXXXIIX.

publicè disputabit

## JOH. FRIDERICUS Bödel / Gotha-Thur.

Autor & Respondens.

ALTDORFI

Typis Johannis Henrici Schönnerstædt.

*Reip. 5 43.*

